MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80479-2

AUTHOR:

SCHINDLER, CARL

TITLE:

DE SOPHOCLE VERBORUM

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

[1877]

Master Negative #

92-80479-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schindler, Carl, 1852-
De Sophocle verborum inventore particula I, De nominum compositione. Dissertatio inauguralis philologica quam scripsit...Carolus Schindler... Vratislaviae typis F.W.Jungferi, [1877]
108 p. 21½ cm.

Thesis, Breslau, 1877.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 03-12-1992 INITIALS Emilian
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE SOPHOCLE VERBORUM INVENTORE.

PARTICULA I.: DE NOMINUM COMPOSITIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IX. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXXVII HORA XII

PUBLICE DEFENDET 1877

CAROLUS SCHINDLER
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

RUDOLFUS DEGNER, DRD. PHIL.
ADOLFUS KLEIN, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.
TYPIS F. W. JUNGFERI.

AUGUSTO REIFFERSCHEID

SACRUM.

Caput I.

Prooemium.

Composita vocabula exploratum omnibus est duplici ratione differre a simplicibus, primum, quod plures simul imagines audientium animis tradantur, tum, quod, qualis inter notiones enuntiatas intercedat necessitudo, externo quidem signo indicetur nullo. Quae igitur notiones membris verborum copulatorum singulis exprimuntur, earum in nulla continere sese audientibus licet, ut qui ita demum satisfacere scriptoribus iudicandi sint, si cunctas quae oblatae ipsis sunt significationes comprehenderint unamque in cogitationem compegerint. Id ipsum autem manifestum est fieri non posse, nisi si de suo aliquid addant et ipsi auditores, illud dico, ut alacri quadam mentis contentione, quod in medio relictum est, id assequi conentur coniectura, cum ex uniuscuiusque membri significatu capienda, tum e ceterorum verborum ac sententiarum nexu. Itaque vocibus coagmentatis ut plus quasi pabuli mentibus porrigitur, ita plus negotii facessitur; qua quidem re animos et sensus hominum concitari patet vehementius, quam si simplices imagines non tam effingere cogitatione et procreare, quam repetere et renovare iubeantur. Ac Graecorum quidem poetae — si comicorum missa feceris monstra ludicra — in eo consentiunt omnes, quod plus duo vocabula raro coniugent, id aperte veriti, ne nimio aut sensus aut sonitus pondere animos vel aures audientium obruant. Attamen cum omnis cuiuslibet hominis elocutio ex uno fonte, scil. ex peculiari eiusdem mentis natura profluat, legem illam non tantum valere planum est, ut unum poetam si noveris, omnes noveris. Immo persuasum habebis tragoediam, quemadmodum alioqui grandiore et sublimiore spiritu epici sermonis superet lenitatem, item compositorum quoque verborum formatione et usu discedere inde oportere; nec magis id concedere dubitabis, ab utroque carminum genere distare debere melicorum poetarum rationem consuetudinemque. Neque vero

qui idem genus poeseos colunt, eadem artis norma ac lege alligati deprehenduntur; ut vel prima lectione et minime intenta aliter Aeschylum subsenties voces conglutinare, aliter Sophoclem et Euripidem. Unde sequitur, quid proprium unicuique poetae sit et peculiare, satis cognosci tamdiu non posse, quamdiu illud parum spectetur, quas quisque vias et regulas — naturali quadam necessitate ductus — in verbis componendis secutus sit. Nec defuere nostris temporibus, qui huic parti orationis poetarum illustrandae studium atque operam navarent. Sed de Sophocle quoniam scripturus sum, eos tantummodo hic enumerabo ac brevibus percensebo libros — quoad inspiciendi eos mihi data erat copia — quibus de eodem hoc tragico agitur.

Atque ne plane praetereantur amplioris argumenti commentationes, Joannis Schmidtii praemitto dissertationem »De epithetis compositis in tragoedia Graeca usurpatis« (Berol. 1865). Excellit autem hoc opusculum non tam locupletissima quae ex Aeschyli, Sophoclis, Euripidis fabulis affertur exemplorum copia, quam eo, quod adeo in rem intravit, adeo suam eam fecit libri scriptor, ut molem paene ingentem peritissime et subtilissime digereret. Diversis enim ac maxime variis rationibus epitheta composita adhiberi, prout aut adstrictam nervosamque brevitatem poetae affectarent aut verbosae et laetae ubertati indulgerent, laudabili mentis sollertia docuit, demonstravit, ante oculos posuit Schmidtius. Cuncta denique ita omni cogitatione sunt pertractata, ita singula elaborata ac perpolita, ut larga utilitas non sine oblectatione animi legenti praebeatur.

Subsequantur qui peculiaribus libris de Sophocle disputaverunt hi tres: C. F. E. Jasper («Zur Lehre von der Zusammensetzung griechischer Nomina und der Verwendung componirter Wörter in den Tragödien des Sophokles», Progr. Alton. 1868); Gustavus Weicker («De fragmentis fabularum quae ad primordia artis Sophocleae referuntur», Progr. paedagog. Hal. 1862); Arnoldus Juris («De Sophoclis vocibus singularibus», Diss. inaug. Hal. 1876). Ex quibus Jasperus angustissimos in quos conclusus erat intra cancellos tam scite versatus est, ut principalium quaestionum vix ullam omitteret et totam disciplinam in nuce, ut dicunt, exhiberet. Postquam enim de externa specie compositorum, h. e. de variis membra conformandi rationibus, aeque breviter ac perspicue priore commentationis parte exposuit, posteriore de significationibus ita disserit, ut ordines ab Indorum grammaticis constitutos omnes deinceps persequatur. Utitur autem Jasperus ad explanandam rem Sophocleis potissimum locis, quamquam ne aliorum quidem poetarum, Homeri, Aeschyli, Aristophanis, exempla prorsus desiderantur. Quapropter tironum animis rei cognitione imbuendis et exercendis hic libellus prae aliis est idoneus.

Operosum negotium Weickerus suscepit et maxime lubricum. Cum enim Th. Bergkius in primo gradu artis Sophocleae praeter Triptolemum, Troilum, Andromedam, Inachum earum fabularum partem maximam posuisset, quae a choro nomen traxissent, ut Captivas mulieres (Αἰχμαλωτίδας), Colchides, Pastores (Ποιμένας), al., Weickerus illius sententiam ita stabilire conatus est, ut ipsas fabularum illarum reliquias Aeschyleo quodam tumore atque orationis altitudine ceteris antecellere ostenderet. Nam ab initio propius ad Aeschyli dicendi genus Sophoclem accessisse non solum per se est consentaneum, sed veterum etiam testimoniis affirmatum. Ac gravissimum quidem argumentum in eo deprehendere sibi visus est vir eruditus, quod verba singulari modo inventa ac composita multo plura — pro rata parte — in iis tragoediis occurrerent, quas ad iuventutem poetae Bergkius revocasset, quam in illis, quas ultra adolescentiam Sophoclis collocatas longius ille ab Aeschyli arte removisset. Quod ne quis in temeritate fortunae positum crederet, etiam quae superstites exstant fabulas septem Weickerus in disquisitionem adduxit subiunxitque libello tabulam, qua monstraret, idem illud genus verborum grande sonantium crebrius in antiquioribus tragoediis quam in recentioribus reperiri. At toti isti argumentandi rationi quot et quantae obstarent dubitationes, ne ipsum quidem fugit commentationis auctorem, qui «ex tam discerptis fabularum reliquiis de dicendi genere coici magis quam cognosci posse» libere confitetur (p. 14). Mihi vero ne coniecturae quidem locus videtur esse, si quidem vocabula a Weickero conquisita nec tam numerosa sunt, quibus notabilem et eximium in modum redundare fragmenta illa dici queant, nec omnino ita comparata, ut insolentioris audaciae prae se ferant speciem. Itaque incorrupto iudicio si ad fabularum illarum reliquias accesseris, cur de ceteris has excipias singularemque in locum seponas, nullam, opinor, causam reperies satis firmam. Ceterum quam periculosum sit, solius sermonis ex specie et colore efficere aliquid velle de temporum computatione, egregio docu-

mento est, quo moneamur, summa criticorum de Trachiniis dissensio, quam fabulam alii adulescenti, viro alii, alii seni Sophocli tribuunt. Perdiditne igitur operam Weickerus? Minime. Nam ut id taceam, perdiligenter eum fragmenta perlustrasse et quid obscurum in iis esset aut depravatum, religiose notavisse: prudenter vir doctissimus rationem monstravit, qua utendum esset, ut inventa poetarum ab iis dignoscerentur, quae aliunde illi mutuati essent. Quodsi nonnulla sunt, quae cum Weickero e Sophoclis fabrica verborum repetere noluerim aut illo invito poetae ego restituerim, me verum vidisse nequaquam contenderim.

Parum vero fructus ex J u r i s i i commentatione percipies; qui quae in Electra, Aiace, Antigona fabulis invenisset aut ἅπαξ εἰρημένα aut rarissime post Sophoclem repetita, congerenda sibi ac disponenda proposuit. Sed quam instituit materiae tractandae partitionem, eam paene nullam esse haud iniquius dicam. Retinuit enim ille tragoediarum titulos ita, ut, quaecumque in singulis fabulis leguntur, haec peculiares sedes obtinere iuberet; quae commentationis capita ita divisisse satis habuit, ut substantiva, adiectiva, verba, adverbia in unoquoque discerneret, ceteroqui litterarum ordinem in universum secutus. In lexici igitur speciem librum suum Jurisius redegit, qua re factum est, ut non solum interniscerentur hic illic compositis simplicia, sed ita omnia perturbarentur, ut diversissima se exciperent, similia a similibus seiungerentur. Itaque omissa qua opus erat variorum compositionis generum distinctione iis continere sese ille cogebatur quae de singulis vocibus in lexicis, commentariis, alibi exposita repeiiuntur. Quibus quidem subsidiis ita Iurisius usus est, ut difficiliorum locorum in nonnullos parum accurate inquireret aliorumque iudicio nimis confisus errores quosdam interpretum adsensu suo comprobaret.

Iam vides id unum reliquum factum esse, ut omnino omnia vocabula composita, quae suopte ingenio Sophocles deberet, colligerentur collectaque ad genera sua revocarentur. Hoc ipsum autem munus principio ego subieram; quin etiam de simplicibus vocibus animum induxeram verba facere; ut paucis dicam, libellum statueram conficere ei similem, qui de «Aeschylo vocabulorum inventore» a Bernh. Todtio scriptus Halis prodiit a. 1855. Sed insperata quo incideram verborum multitudine primum simplicia ut abicerem permotus sum; mox, cum ne ita quidem otium sup-

petiturum intellexissem, denuo circumcidere decrevi consilii quod primum intenderam ambitum. Itaque hoc loco de solis nominibus disputabo a Sophocle componendo procusis, reliqua in tempus reservans, si diis placet, haud nimis serum.

Ceterum quae ad Sophoclem inventorem referenda duco vocabula, ea diductis litteris excudenda curavi; quae vero dubito an aliunde poeta deprompserit, his interrogationis signum insuper adieci; denique asterisco notavi, quae per coniecturam Sophocli ab interpretibus quibusdam vindicantur, sed alioqui apud eum non exstant.

Haec praefatus ad ipsam rem aggrediar.

Caput II.

Ex verborum compositorum classibus sex ab Indorum grammaticis investigatis ac propositis, quas quo iure sequar hodie non iam est cur enarrem, Sophoclea in oratione hae tres reperiuntur: determinativa, obiectiva, possessiva.

Determinativa

ea composita appellantur, quorum priore membro subsequentis partis notioni singularis aliqua notio imprimitur, qua illa res ab aliis sui generis rebus distinguatur. Determinatur igitur posterioris membri sensus ac tanquam in angustiores fines coartatur antecedentis partis significatu; quod ita fit, ut membrum prius attributiva aut adverbiali ratione ad alterum membrum accedat. Est enim pars posterior aut substantivum aut adiectivum vel stirps verbi adiectivi in speciem transformata; eademque vocabulorum genera deprehenduntur in membris praecedentibus, praeter haec autem adverbia et praepositiones.

1. Membrum posterius, quod determinatur, substantivum est.

§ 1.

a. Membrum determinans, quod praecedit, est substantivum.

Huic ordini id peculiare est, quod casualis ratio inter substantiva coniuncta intercedit nulla, sed appositionali potius quodam vinculo membra videntur contineri. Ut μητρόπολις urbs nominatur, quae mater est (coloniarum), ἱπποκάνθαρος κάνθαρον significat ἵππον ὄντα, h. e. equi munere fungentem, ἀνδρόσφιγξ sphinx

dicitur, quae vir, i. e. viri consimilis, est. Atque hanc dicendi consuetudinem Heerdegenius[1]) egregie animadvertit ex «breviloquentia quadam comparandi proficisci, ea, ut pro parte totum, pro virtute quadam vel vitio alicuius rei proprio res ipsa attributi loco adhibeatur in alias res hominesque». Ad grammaticae igitur normas si oportet redire, adiectivorum vicem praestant substantiva illa membris prioribus expressa, ut composita, quae modo memoravimus, haud inepte solvi se patiantur ita: μητρῴα πόλις, ἱππικὸς κάνθαρος, ἀνδρεία σφίγξ. Sed ne longius a proposito nostro digrediamur, Sophocleas iam ipsas inspiciamus fabulas. Et in his quidem, quod huc referendum sit, unum invenitur: γύνανδροι, quod «κατ' ἐναλλαγὴν ἀντὶ τοῦ ἀνδρόγυνοι» a poeta dictum esse parum accurate Trypho docet. Alias enim significationes ἀνδρόγυνος habet, aliam Sophocleum γύνανδρος, quo viri notantur muliebres[2]) s. effeminati, h. e. molles, fr. 865.

[1]) «De nominum compositorum Graecorum imprimis Homericorum generibus», diss. inaug. Berol. 1868, p. 27.

[2]) Huius modi composita quam falso olim copulativo generi adscripta sint, dilucide ex illis adiectivis apparet, quorum partes secundae et ipsae adiectiva sunt, veluti nostra: eiskalt, schneeweiss, pechschwarz, blutroth, pfeilschnell, alia permulta, quorum membra quo nexu inter se cohaereant, aliquanto etiam audacius, ni fallor, tacetur. In his autem, quia determinans notio dignitate par esse non potest notioni determinandae, ne adiectivorum quidem gradum obtinere mihi videntur substantiva, quae in membris prioribus conspiciuntur. Immo adverbiorum ad partes descendisse illa putaverim, si quidem adverbia in eorum locum facillime substituuntur: eisig kalt, schneeig weiss, blutig roth, cet. Neque apud Graecos talia prorsus desiderantur, licet id ipsum G. Meyerus contenderit Curt. Stud. V, p. 12; cui ne fidem adiungas, haec appono exempla: Homerica ἀρηίθοος, celer tanquam Mars, et μελιηδής, dulcis tanquam mel, quae Heerdegenius l. c. p. 28, 29 attulit; Aeschyleum κυνοθρασής, audax tanquam canis, quod non opus esse cum Todtio (l. c. p. 18) a substantivo θράσος repetere ex iis patet, quae «de adiectivorum quorundam compositorum terminatione» Lobeckius exponit ad Phryn. p. 533 sqq.; Galeni ὑδατόχλωρος, quod Leop. Schroederus citavit («Die formelle Unterscheidung der Redetheile im Griechischen und Lateinischen, Leipzig 1874», p. 306). His autem simillima sunt, quae verborum stirpes participiali sensu positas membris posterioribus continent, ut Aeschylea: ἱπποβάμοσι καμήλοις, Suppl. 271, h. e. καμήλοις ἱππικῶς (equorum ritu) βαίνουσιν, et λεοντοβάμονα σκάφη, vasa leonum more (h. e. leoninis pedibus) incedentia, fr. Herm. 239 (Dind. 210, Nauck. 221). Quae quidem explicatio ut minus violenta ita magis poetica mihi videtur esse, quam quae a Todtio (p. 38) prolata est: «vas leonibus i. e. (?) leoninis pedibus incedens.» Eadem autem epitheta Aeschylea dubitationem mihi iniciunt, an iniuriam interpretes fecerint Nicarchi αἰγιβάτῃ Πανί (Anth. Pal. 6, 31), significari rati «capras ineuntem», pro quo equidem c a p r o r u m i n s t a r i n g r e d i e n t e m, h. e. c a p r i p e d e m, (αἰγιπόδην) intellegi malim.

(874)[3]); Philo vol. I, 512, p. 35; Aelian. ap. Suid. s. v. χλούνης; Suid. s. v. μάλθων.

§ 2.

b. Membrum determinans, quod praecedit, est adiectivum.

Determinativa, quorum alterum membrum ex adiectivis est, ex substantivis alterum, duri nescio quid habent ac parum levis, quod ipsum causae videtur fuisse, cur non modo florentis sermonis scriptores, sed ne inferiores quidem civitatem huic verborum generi darent plenam. cf. Schroeder. l. c. p. 259. Atque est fortasse offensio in eo sita, quod adiectivum certo ac definito, sc. attributivo, sensu positum parum audientibus relinquit libertatis notiones inter ipsas coniungendi, quo fit, ut haud sine aliquo labore duae significationes in unum comprimantur totumque compositum nimis prope accedere videatur ad solutorum vocabulorum vim et potestatem. Illa autem locutionis asperitas quam apte interdum inserviat affectuum motui exprimendo, praeclare ostendit Oed. Reg. v. 556[4]), ubi Oedipus Tiresiam acerbissima cum ironia et dissimulatione σεμνόμαντιν ἄνδρα appellat. Nec sine aculeo et ioco quodam tristi apud Aeschylum (Ag. 1242)[4]) ἀληθόμαντιν, veram vatem, sese esse Cassandra gloriatur, quasi infortunio suo ipsa laetetur. His autem in locis quantum ipsa compositio conferat ad acumen orationis augendum, facile cognosces, vocabula coagmentata si distraxeris, atque ne talia quidem officere concedes Lobeckii iudicio peritissimo illi: «non solere Graecos substantivum cum adiectivo ita componere, ut compositorum eadem significatio sit, quae fuisset appositorum.» Iam ad reliqua huius ordinis exempla transgredientibus alterum occurrit vocabulum cum μάντις copulatum, ἀριστόμαντις, Phil. 1338, cognomen Heleni, quem Homerus Il. VI, 76. οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστον vocat. — κακογείτων, Phil. 692. desperato in loco legitur, quem variis modis interpretes

[3]) In fragmentis Sophocleis citandis ad Dindorfii et Nauckii editiones me accommodavi, idque ita, ut Nauckianos numeros uncis includerem.

[4]) Sequor numeros Hermannianos.

tractavere. Lessingius vicinum malis Philoctetae, i. e. Philoctetae misero ipsi, intellegi voluit, nec longe aliter Buttmannus cum scholiasta malorum consortem ac socium significari contendit. Utrique explicationi praeferenda videtur Musgravii et Gernhardii interpretatio, quibus ipsius Philoctetae στόνος malus vicinus dici videbatur [5]). Recensitis adde παμμήτωρ [6]), vera mater, h. e. «quae plane se matrem probavit» (Erf.) Ant. 1282, et quod a pronomine initium capit, αὐτόπαις, genuinus filius, Trach. 826 fr. 964. (921). cf. Matth. Lex. Eurip. s. v. αὐτοσίδηρος. — Finitima autem his sunt ea composita, quorum membrum antecedens verbalem stirpem exhibet participii vices gerentem et adiectivi ritu ad nomen insequens sese applicantem, de quibus Clemmii adeatur commentatio «De compositis Graecis quae a verbis incipiunt» (diss. inaug. Giss. 1867, p. 149 sq.). Sophoclea duo huc spectant ut synonyma ita ab eodem verbo formata: μελλόποσις, fr. 910 (960), futurus maritus, et μελλόνυμφος, futura uxor, sponsa [7]), Ant. 633. Trach. 206. Lycophr. 174. Dio Cass. 58, 7.

---

[5]) Vera lectio si investigata est ab Hermanno excidisse censente κάματον, cum hoc potius nomine ego velim κακογείτονα iungi, ut pro consuetudine tragicorum dolori ξυνοικεῖν Philocteta dicatur.

[6]) Nolui huius nominis omittere mentionem, quamquam non tam invenisse quam novo sensu adhibuisse illud Sophocles dicendus est; nam Aeschyleum παμμήτωρ, Prom. 90, obiectivum est: omnium mater. cf. παμμήτειρα, hymn. Hom. 30, 1.

[7]) Cf. μελλονύμφη et μελλονύμφιος, quas formas Pollux eodem loco citat, ubi μελλόποσις. Ad sensum simile, sed alia ratione compositum ? μελλόγαμος est (quod Ant. 628 libri quidem tuentur omnes, sed num ab ipso Sophocle scriptum sit, inter homines litteratos parum constat). Duabus enim ex stirpibus verbalibus id vocabulum conflatum est nec magis obiectivorum ordine movendum, quam φιλοίκτιστος, de quo infra disceptatio instituetur; quamquam non ignoro alia ratione ex φιλεῖν pendere infinitivum, alia ex μέλλειν (ὁ μέλλων γαμεῖν). At ut verum ingenue confitear, parum mihi adhuc certum est, meritone Clemmio morigeratus sim nomina, qualia sunt μελλείρην, μελλέφηβος, μελλόπαις, al., determinativae classi adserenti. Est enim obvia suspicio, ab obiectivis illegitima via illa profecta esse, sive ut clarius dicam, falsa analogiae specie adductos esse scriptores, ut secundi verbi in locum substantivum substituerent, quasi ex μέλλειν nomen aptum esse posset. Favet autem huic opinioni tum ipsius μέλλειν verbi usus et significatio tum quae apud Pollucem est μελλόποσις vocis interpretatio: «ὁ μέλλων ἀνὴρ γενέσθαι.» Neque aliter explicanda duco vocabula quaedam ex ἐθέλω et nomine constantia, ut ἐθελόπορνος, ἐθελοφιλόσοφος,

§ 3.

c. Membrum determinans, puod praecedit, est adverbium.

Adverbia substantivis praefixa adiectivorum munus occupant, quod idem sibi arrogant particulae δυς — et ἀ privativum. Hoc autem modo quae efficta sunt vocabula, multo crebrius ad possessivum ordinem quam ad determinativum pertinent; cf. Schroeder l. c. p. 269 et 504. Determinativae classi Sophoclea addicenda sunt duo, quorum utrumque idem nomen membro posteriore continet, cui ipsum subiunctum deprehenditur. Quod dicendi genus cum nemini non satis cognitum sit, qui vel primoribus labris tragicorum carmina degustaverit, missis ambagibus statim ad exempla enumeranda accedimus. Sunt autem haec:

πόνοι δύσπονοι, Ant. 1276, proprie: labores qui infausti labores sunt, h. e. πόνοι δυστυχέστατοι.

ἄδωρα δῶρα [8]), Ai. 665, dona quae mala dona [9]) sunt, i. e. «τὰ ἐπὶ κακῷ διδόμενα» sive — ut ipse Sophocles adicit — «οὐκ ὀνήσιμα». Eadem vox ex coniectura Musgravii v. 178 legitur sensu possessivo de praeda, pro qua nulla a venatoribus Dianae oblata sunt munera. — Thuc. 2, 65; Plat. Sympos. de Amore p. 197, D.; Plut. Pericl. c. 15.

2. Membrum posterius, quod determinatur, adiectivum est.

§ 4.

a. Membrum determinans, quod praecedit, est adiectivum.

Adiectivum adiectivo praepositum adverbii ad gradum recidit, amantque hanc dignitatis imminutionem praecipue πᾶς et πολύς; cf. Schroeder. p. 313. Tale Sophocles unum excogitavit:

ἐθέλεχθρος, ἐθελόκακος, ἐθελόκωφος, sim., quae non eos designant, qui ἐθέλουσι πόρνους, φιλοσόφους, ἐχθρούς, cet., sed qui ipsi esse volunt πόρνοι, φιλόσοφοι, ἐχθροί. Et haec quidem, quae ab ἐθέλειν sunt, ne Clemmius quidem ausus est adnumerare determinativis, quamquam haud satis accurate exposuisse de ea re iudicandus est. Nam si, quam ille statuit, accusativi ratio inter membra compositi ἐθελάστειος intercedit, idem nomen quo iure verti queat: «civem esse volens», minime perspicitur (p. 157, 158). cf. Jasper. l. c. p. 26, 27. — Ceterum quod inter ε et ο fluctuant vocabula a μέλλειν ducta, cf. Lob. Phryn. p. 768.

[8]) cf. Opp. Hal. 3, 303: δῶρα δύσδωρα.

[9]) Difficillimam illam quaestionem a Schaefero olim et a Lobeckio mo-

παντλήμων, omnino miser, miserrimus, El. 150. Oed. R. 1379. Eur. Hec. 198.[10]) Philipp. Anth. Pal. 7, 383. cf. Homericum πολυτλήμων et Aeschyleum παντάλας.

§ 5.

b. Membrum determinans, quod praecedit, est adverbium.

ἀσόλοικον· «ἥμερον, προσηνές, οὐ βάρβαρον» (Hesych.), fr. 555 (566). Eubul. ap. Athen. 2, p. 63, E.; Plut. Cleom. 13; Diog. L. 7, 18.

δυσάθλιος, proprie: infelicem in modum miser; miserrimus, O. C. 330. Eandem unius notionis geminationem ostendit

δυστάλαινα, valde calamitosa, El. 284. O. R. 1236. O. C. 1442. Tr. 307. 651. Ai. 307; Eur. Hipp. 1082. 1407, Herc. Fur. 456. Masculinum δυστάλας in Eurip. Hipp. 1407 et Suppl. 1034 legitur. cf. δυστλήμων, hymn. Hom. Ap. 532.

?**τρισάθλιος**, ter miser, miserrimus, O. C. 372; Aristoph. Pac. 242; Menand. ap. Stob. Fl. 22, 11, 1 et alibi; Alciphr.; Lucian., al. cf. δισάθλιος, Soph., Aristoph., al.

τρισόλβιος, ter beatus, beatissimus, fr. 719 (753); Aristoph. Eccl. 1129; Luc., al.; cf. Homericum τρισμάκαρ.

3. Membrum posterius, quod determinatur, verbum est.

§ 6.

a. Membrum determinans, quod praecedit, est adiectivum.

Hic ordo, in quo adiectivum item pro adverbio valet atque ubi adiectivum adiectivo adnectitur, post illum, qui proxime subsequitur, longe est amplissimus. Binos autem in greges distribuenda sunt, quaecumque verbales stirpes membris posterioribus continent vocabula: alter est, ubi partes secundae vulgarium nominum speciem aequant cum aliter tum in ος, ης, της, ς exeuntium; alter ea vocabula amplectitur, quae ad formam adiectivorum verbalium, quae proprie dicuntur, expressa nominativum in τος mittunt.

---

tam, huiusmodi vocabulorum quaenam essent pro adiectivis habenda, quaenam pro substantivis, denuo nuper tetigit Schroederus l. c. p. 555 sq.

[10]) In significandis versibus Euripidis numeris usus sum editionis Fixianae.

α. Quae in ος, ης, της, ς terminantur.

οἰοβώτας (φρενός), qui solitarius s. seorsim mentem suam pascit[11]); obstinatus, pervicax, Ai. 615. cf. οἰοπόλος, ap. Hom. et Pind., οἰόφρων, ap. Aesch., οἰονόμος, ap. inferiores.

κοινόπλουν ὁμιλίαν, coetum virorum κοινῶς πλευσάντων, Ai. 872. Eur. fr. Nauck. 848. cf. **κοινόπους** παρουσία c. IV, § 5.

ὠκυτόκος, «celeriter pariens s. gignens, i. e. (agros) fecundans (Κηφισσός)», O. C. 689. Timoth. ap. Plut. Mor. p. 282, C: ὠκυτόκοιο σελάνας. Herod. 4, 35 (τὸ ὠκύτοκον?). cf. ὠκυτόκιος, ap. Aristoph., Theophr., Plut., al.

ἐλπίδων **κοινοτόκων** (εὐπατριδᾶν τ'), proprie: spes communi partu edita, i. e. cognata, fraterna, insolenter dictum pro ἐλπὶς τῶν κοινοτόκων, spes in fratre posita[12]), El. 857.

***νεοπόκῳ** μαλλῷ, recens detonso, O. C. 475.

πολυρράφου πόρπακος, multum s. firmiter consuti, Ai. 575. Pallad. Hist. Laus. p. 991. D; Nil. Ep. 364. p; Etym. M. 681, 44. — Forma πολυρραφής ap. Nonnum invenitur (Jo. 9, 174) et in Etym. M. p. 148, 37.

ὑστεροφθόροι Ἐρινύες, postea perdentes, Ant. 1074. cf. Aesch. Ag. 58. Ch. 378: ὑστερόποινος.

ἀρχαιογόνων Ἐρεχθειδᾶν, ab antiqua stirpe ortorum, ἀρχαίων, Ant. 981; Aristot. De Mund. c. 6, 16; Niceph. Walz. Rhett. vol. I, p. 485, 31; Herodian. Epim. p. 167. — cf. ἀρχέγονος, Nonn; Paul. Sil., al.

---

[11]) Passiva interpretatio: «qui solus pascitur», i. e. qui a mente aberrat (ὁ ἐκτὸς φρενῶν διάγων), quam a scholiasta suppeditatam Wunderus recepit, vereor ne analogiae adminiculo destituta sit; cf. exempla, quae ad ἀγροβότης infra afferuntur.

[12]) Quod interpretes docent, poetas epithetis uti solere, ubi prosae orationis scriptores substantivorum casus obliquos ponant, id maxime in illa adiectiva valet, quae originem s. stirpem hominum indicant. Huc imprimis vocabula in — γενής cadentia pertinent, qualia sat multa Jo. Schmidtius congregavit l. c. p. 15 et 18. A quo quae allata sunt exempla, iis haec addo cognationem significantia: κοιμήματα αὐτογέννητα Soph. Ant. 864, αὐτογενεῖ φυξανορίᾳ Aesch. Suppl. 8, συγγενῆ γάμον, Prom. 857, συγγενεῖ φόνῳ, Eur. Or. 411. Neque illud oblata occasione silentio praeteribo, ἐλπίς substantivum prae aliis talia adiectiva adsciscere amare, quae proprie sperandarum rerum nominibus conveniant. cf. σιτονόμου ἐλπίδος, c. III. § 3 β.; εὐαγγέλοισιν ἐλπίσιν, Aesch. Ag. 247; (δόξης εὐαγγέλου, Eur. Med. 1010); γηροβοσκοὶ ἐλπίδες, Dion. Hal. 8, 51.

ὠκυβόλων τόξων, celeriter ferientium, Ph. 710; Aristot. H. A. 9, 32 (de aquila); Antip. Sid. Anth. Pal. 6, 118; Epigr. Satyri Anth. Plan. 195.

ποικιλόστολος (ναῦς) varie ornata, Phil. 343.

ὁμόστολος qui simul proficiscitur, comes, O. R. 212; Apoll. Rh. 2, 802. 3, 558; Nonn. Jo. c. 9, 10. 14, 69. 18, 16. cf. Hesych. et Suid. s. v.

αὐτόστολος qui ipse (navi) vehitur, Phil. 496; Mus. de Leandro 275; Julian. Anth. Pal. 7, 585, 1; Inscr. ap. Ross. p. 31, 6, 16.

?αὐτάγγελος qui ipse nuntiat, Ph. 568. O. C. 333; Thuc. 3, 33; Nonn. Dion. 8, 222. 11, 91. Jo. c. 20, 127; Plut. Mor. p. 489. E; Dio Cass. saepius. — cf. Phil. 500: αὐτὸν ἄγγελον. — cf. αὐτεπάγγελτος Herod., Thuc., al.

βαθυσκαφεῖ κόνει, alte effossa, El. 435.

μελαμβαφεῖς (ἀκτὰς Ἀχέροντος) iure Ellendtius ambigit rectene Brunckius pro inepto habuerit mutaveritque in μελαμβαθεῖς, quod Aeschylus scripsit Prom. 221. Accedit autem ad argumentum ab Ellendtio prolatum hoc alterum ex ipsa re arcessitum: quidni enim de nigris undis Acherontis cogitasse poeta putetur? quibus cum ripae subluantur, equidem non video, cur non possint αἱ ἀκταὶ dici atro colore tinctae, fr. 469 (478); Bacchylid. ap. Suid., Georg. Pisid.

παμφεγγεῖς ἄστρων ῥιπάς, omnino splendentes, splendidissimas, El. 105; Hermap. ap. Ammian. Marcell. 17, 4, 20. — cf. παμφαής Aesch., Soph., Eur.

καινοπαθῆ[13]) (πήματα) recens exantlata, h. e. quae quis nova patitur s. simpliciter: nova, inaudita, Tr. 1277. — Verbum καινοπαθέω Plutarchus habet Mor. p. 1106, A. — cf. Aeschylea νεοπαθής (Eum. 507) et καινοπήμων (Sept. 344).

νεηκονής recens acutus (gladius), Ai. 820. cf. νεακόνητος p. 13 et Homericum νεηκής.

νεοπλυνής v. λινογενής c. III. § 4.

νεοσπάς (θαλλός) recens decerptus, Ant. 1201. fr. 445 (459); Pisid. ap. Suid. — cf. νεοσπαδὲς ξίφος Aesch. Eum. 43.

[13]) In gloss. et schol. memoratur haec altera scriptura: καινοπαγῆ, quam Wakefieldius adoptavit, Hermannus «exquisitam quidem, sed etiam quaesitam» esse censuit. Nec desunt, qui extremos fabulae versus totos pro subditiciis habeant.

ὁλοσπάδες· «ὅλαι καταπινόμεναι καὶ κατασπώμεναι» (Hesych.), fr. 918 (967).

ὀξυπλῆγος (Ἀχέροντος) acriter pulsantis (ripas), i. e. gravisoni, fr. 469 (478)[14]).

βαρυβρώς graviter mordens, «gravi morsu excrucians» (Ell.), Ph. 695.

β. Quae in τος terminantur.

?λεπτοσπαθήτων χλανιδίων, subtiliter textorum, fr. 400 (adesp. 5.). — cf. εὐσπάθητος, Hesych. s. v. τρίμιτον.

?χρυσεοπήνητον ἀμφίον, ex aureis staminibus contextum, fr. 370 (384); Eur. Or. 840; Agath. Anth. Pal. 5, 276.

νεακόνητος, recens acutus, ensis epitheton videtur fuisse, cuius significatio cum in verbis subsequentibus frustra quaeratur, videndum est, ne graviorem in modum affecta ea sint temporis iniuria[15]), El. 1395. — cf. νεηκονής p. 12.

νεορρύτους πηγὰς γάλακτος, recens fusas[16]), El. 894; Nonn. Dion. 45, 301; Meleag. Anth. Pal. 9, 363, 15.

πάνθυτα θέσμια, omnibus sacrificiis celebrata, h. e. omni veneratione prosequenda, Ai. 712. — cf. πολύθυτος, Pind., Soph., Eur.

ὀξυκώκυτον πάθος, acuta voce defletum, Ant. 1316.

ὀξύθηκτος, Ant. 1301, parum constat utrum translate dictum Eurydicam denotet ad acrem furorem acutam, an proprie intellegendum sit de telo bene acuto, quo sensu Euripides vocem posuit Andr. 1118. 1150. El. 1159. Aegrotare enim codicum verba invictis argumentis Hermannus et Schneidewinus effecerunt, etsi, quousque corruptela pateat, non satis apparet[17]).

νεοχάρακτα (ἴχνη), vestigia recens impressa, Ai. 6.

[14]) Heynius servato, quod libri praebent, ὀξυπλῆγας verba perplexa ita disposuit, ut cum γόους epitheton illud iungeret.

[15]) Aliter interpretum sentit pars maxima, ex quibus Hermannus νεοκόνητον αἷμα auctore scholiasta legi voluit. Sed huius vocabuli quam vir summus dedit interpretationem, ea vel ipsius fabulae oeconomia refellitur; recte enim Wunderus monet nondum perpetratam caedem esse nec profusum adhuc sanguinem Clytemestrae.

[16]) Diversum ab hoc est Aeschyleum νεόρρυτον ξίφος, quod a ῥύομαι repetendum esse ipse locus, Ag. 1351, ostendit.

[17]) Scholiastes interpretatur: ὀξεῖαν λαβοῦσα πληγήν, quasi legerit ὀξύπληκτος; cf. ὀξυπλήξ.

πυκνοστίκτων ἐλάφων, crebris maculis distinctorum, maculosorum, O. C. 1092. — cf. praeter στικτός, de quo Wunderus loquitur ad Ph. 184, κατάστικτος, ap. Soph., Eur., al.

πάμφλεκτος omni ex parte incensus, Ant. 1006. El. 1139; Axonic. ap. Ath. 8, 342, B.

πάμπληκτα παγκόνιτά τε Tr. 504. venusta metaphora ἄεθλ' ἀγώνων, certamina, vocantur, in quibus luctantes omnibus modis sese feriunt (i. e. omnibus artificiis palaestricis utuntur) et pulvere campi excitato toti conspergunttur[18]).

πάγχριστος, omnino perunctus[19]), Tr. 661.

πολυσχίστων (κελεύθων), viarum varie discissarum, multifidarum, O. C. 1592.

ταχύρρωστος πελειάς, celerivola, O. C. 1081.

κακάγγελτα ἄχη, mala calamitose nuntiata, h. e. κακὰ ἄχη ἀγγελθέντα, Ant. 1286. — cf. κακάγγελος, Aesch. Ag. 614.

νεορράντῳ ξίφει, recens adsperso, Ai. 30. 828; Aristid. vol. 2, p. 395. D: νεορρ. δάκρυα.

νέορτος, recens ortus, i. e. νέος, O. C. 1507. Tr. 894. fr. 791 (787).

---

18) Haec iam perscripta erant, cum in ea incidi, quae de loco isto sagacissime Kvicala disputavit (Sitzungsbericht d. Wien. Academ. XLV, p. 422), qui ita: «Man muss nach Analogie von πλήττειν πληγάς die Ausdrucksweise πλήττειν ἄεθλα (Kämpfe schlagen) voraussetzen; und πάμπληκτα ἄεθλα sind somit ἄεθλα, ἐν οἷς πᾶσαι πληγαὶ πλήττονται, wie das vorauszusetzende πάμπληκται πληγαί = πληγαὶ παντοίως πληττόμεναι. Die beste Analogie dafür bietet πανδάκρυτ' ὀδύρματα, Tr. 50, was auf die Construction δακρύειν ὀδύρματα zurückweist: allgeweinte Klagen.» Ergo quod translationem verbis Sophocleis diximus inesse, id nunc patet solum in παγκόνιτος cadere. Eo autem epitheto ne cum Wundero credas non significari eiusdem campi pulverem, ubi lucta fiat, conferas Vergil. Aen. IV, 154 sq.:

Transmittunt cursu campos atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant,

vel Ovid. Am. I, 15, 4:

Praemia militiae pulverulenta sequi.

19) Labem aliquam locum contraxisse extra iam controversiam positum est, cum desit substantivum, ad quod adiectivum referri queat. Nec tamen adhuc divinando quisquam potuit assequi, quidnam poeta dedisset.

§ 7.

b. Membrum determinans, quod praecedit, est adverbium (vel particula).

α. Quae exeunt in ος, ης, cet.

ἀείφρουρος (οἴκησις) domus perpetuo custodiens[20]) (sepulcrum Antigonae) Ant. 892; Cratin. ap. Ath. 15, p. 685 C., Sophoclem imitatus; Opp. Hal. 4, 189. — cf. ξύμφρουρος p. 27 et Aesch. Ag. 242: γαίας μονόφρουρον ἕρκος.

ἀειφόρος· «ἀειθαλής» (Hesych.), fr. 510 (519). Addo adverbium ὑψικόμπως, superbe se iactans (cf. ib. 1230: ὑψήλ' ἐκόμπεις). Adiectivum ὑψίκομπος ap. Eusth. est (Od. p. 1687, 49)[21]).

His succedant, quae cum voculis δυσ—, εὖ, ἀ— copulata sunt.

εὔαγρος, qui bene venatur, felix venando, O. C. 1088; Rhian. Anth. Pal. 6, 34, 6; Quint. Maec. ibid. 83, 7; Zosim. ib. 183, 6; al. Εὔαγρος nomen fictum viri ap. Alcphr. (Ep. 3, 3.)

εὐυφής[22]) bene textus (πέπλος), Tr. 602; Antip. Sid. Anth. Pal. 10, 2, 7; Poll. 7, 135. 10, 42.

εὐδρακής, qui bene cernit s. facile animadvertit (omnia), Ph. 847. — cf. εὐδερκής Maxim. Catarch. 151. 263. et Εὐδέρκης, nomen propr. ap. Demosth. (p. 688, 1).

De εὐνόμας, Ai. 601, quod post varia multorum conamina iusta aut explicatione aut emendatione adhuc caret, cum nihil habeam quod proferam novi, editorum, imprimis Lobeckii et Wunderi adeantur velim adnotationes.

ἀδῆον πόλιν, non vastatam, «ἀπόρθητον» (Hesych.), O. C. 1533; Apoll. Rh. IV, 647. — cf. ἀδῄωτος, ap. Xenoph.

ἄστολος[23]) χιτών, vestis quae corpus parum tegit, fr. 791 (787).

ἀπροσόμιλον γῆρας, quod aegre aditur, morosum, O. C. 1236. — cf. δυσόμιλος, Aesch. Ag. 718.

---

20) Parum apte Ellendtius: «custoditus perpetuo.»

21) Schroederus vocabula in — κομπος terminata ad substantivum κόμπος revocavit omnia (μυκτηρόκομπος, Aesch., p. 406; πολύκομπος, Poll., p. 454; ἄκομπος, Aesch., p. 473; εὔκομπος, Eur., p. 489; ὑπέρκομπος, Aesch., p. 501). Quod quantopere improbandum sit, ante omnia simplex adiectivum κομπός demonstrat, quod legitur in Eur. Phoen. v. 600 et Et. M. 527,47.

22) Hermannus, Dindorfius, Schneidewinus cum Wundero *ταναϋφῆ scripserunt; de qua re cf. Herm. ad l.

23) Idem vocabulum codices quidam offerunt in Aesch. Sept. v. 835, sed expunxit Hermannus.

ἀπροσήγορος non affabalis, immitis, O. C. 1277. Tr. 1093; Plut. Mor. p. 679, A. — cf. εὐπροσήγορος Eur. Hipp. 95; δυσπροσήγορος Dio Cass. 34, 4; δυσπαρήγορος Aesch. Eum. 384.

De **ἀπερίτροπος**, El. 182, quod antiquos interpretes aeque ac recentiores vexavit, propria opera, ab iis, quas adhuc a viris doctis initas video vias, interclusus, periclitabor, si quid sententiarum nexu accuratius perquirendo proficere possim. Electram summo maerore afflictam chorus v. v. 155—159 ita consolatur, ut Orestem aliquando in patriam rediturum esse confidentissime praenuntiet. Ad quae Electra respondet huius quidem rei nullam iam se tenere spem: semel enim atque iterum deceptam ipsam esse inanibus fratris pollicitationibus. Iam parum apta, crediderim, chorus loqueretur, si quod modo dixit, repeteret, fore ut reverteretur ille denuo affirmans. Hanc autem sententiam choro obtrudunt, qui Hermanno obtemperant «non reducem» intellegi iubenti. Neque altera quam ἀπερίτροπος voci subiciunt significatione: non s e c u r u m Orestem esse (de patre ulciscendo), sat fortiter refutari videtur turpissimum illud crimen ab Electra fratri illatum; id ut taceam, neutrum significatum talem esse, qui sine ulla dubitatione vocabulo tribui posse videatur. Immo gravissimis verbis virginis reprehensionem reicere chorus debebat, persuasum sibi esse dicens, minime id timendum esse, ne Agamemnonis filius tam pravi ingenii convinceretur. Huiusmodi autem sensus cum epitheto illi inesse nullo pacto possit, corruptam esse aestimo scripturam tralaticiam, etsi non ita, ut desperanda sit sanatio. Namque cum posterior pars vocabuli (—τροπος) non maiore negotio a substantivo τρόπος, mores s. indolem hominum designante, quam a verbo τρέπειν repetatur, haud temeraria videtur suspicio, prius membrum ita corrigendum esse, ut perversitatis inde emergat aliqua notio; cf. ὁμότροπος, ὁμοιότροπος, ἀρχαιότροπος, ἀδικότροπος, κακότροπος, βδελύκτροπος, al. Quid vero Sophocles scripsisset, frustra adhuc laboravi ut reperirem.

Iam nulla mora est, quin ad alias terminationes pergatur.

* **ἀνηκές**, immedicabile, recte a Musuro in fr. 44 (45) restitutum est pro codicum ἀηκές, quod est nihili. cf. Hesych.: δυσηκῆ· δυσακῆ, δυσίατον.

ἀκαλυφής, intectus, apertus, Ph. 1327; Aristot. De anim. 2, 9, p. 42, 13.

ἀψεφές· «ἀφρόντιστον», fr. 618 (625)[24]).

ἀστραφής, inflexibilis. «σκληρός», fr. 367 (381); Aristid. vol. I, p. 310. — cf. ἀστραβής, Pind., Eur., al.

ἀψεγής, irreprehensus[25]), El. 497; adv. —έως Apoll. Rh. 2, 1023.

ἀστεργής, non acceptus; gravis, O. R. 229. Ai. 776; Lycophr. 311. 542. 1166. 1400; Hippocr., Paus., al.

* **ἀσταγής**, fr. 162 (154) grammatici certant utrum secundum vocabula ἄστακτος et ἀστακτί interpretandum sit: «non stillans, sed fusim manans», an glaciem significet, «unde omnino non stillet aqua». Quae controversia periculum est ne vana sit; subdubitari enim licet, veramne scripturam ex corruptis librorum litteris Salmasius eruerit, cum pro παιδιαῖς ἄγη legendum proponeret παῖδες ἀσταγῆ[26]) (κρύσταλλον). Sumpsit autem Salmasius ἀσταγής adiectivum ex Apoll. Rh. 3, 804; Nicand. Th. 307; Nonn. Dion. 1, 302.

ἀλιπαρής, El. 451, num omnino hic ponendum sit, incertus adhuc haereo, nec quicquam de vocabulo variis modis temptato ratum habeo praeter haec tria: primum, necessario cum ex totius loci natura tum maxime e verbis «σμικρά» et «οὐ χλιδαῖς ἠσκημένον» illud colligendum esse, ne τρίχα quidem nomini aliud epitheton convenire nisi tale, quod item ad vilem cultum Electrae pertineat; tum, hanc ipsam ob causam repudiandam esse alteram, quam Suidas, Eustathius, scholiasta agnoscunt, lectionem λιπαρής; postremo cum Schneidewino alienum arbitror esse ab ἀλιπαρής significatum illum, quem Hermanus inde producebat: «coma non accommodata supplicationi, ut quae non satis compta atque nitide habita sit».

Suffixum μων Sophocles adhibuit in

ἀνοικτίρμων, substantivi οἰκτιρμός forma haud dubie ductus, fr. 587—588 (593); Antip. Sid. Anth. Pal. 7, 303, 5. — cf. simplex οἰκτίρμων, ap. Theocr., Lucian. al.

Nudum σ et productam radicis verbalis vocalem monstrat

ἀρρώξ, Ant. 251: γῆ, non fracta s. scissa; fr. 168 (161): ὅπλα,

---

24) cf. Hesych: ψέφει· δέδοικεν, ἐντρέπει, λυπεῖ, φροντίζει.

25) cf. quae de hac voce Kvicala exposuit (Sitzungsbericht der Wien. Academ. XLV, p. 420).

26) Mihi ne «παῖδες» quidem satisfacit, pro quo nescio an commodius corrigatur: παιδί' (= παιδία, h. e. τέκνα).

quae frangi nequeunt. — cf. καταρρώξ p. 26, ἀπορρώξ Hom., διαρρώξ Eur., sim.

β. Quae ex eunt in τος.

ἀείρυτος (κρήνη) semper profluens; perennis, O. C. 649.

*παλίρρυτον αἷμα, sanguis refluens s. vicissim fluens, i. e. qui ab iis profunditur, qui ultionis causa interficiuntur, El. 1420[27]); Philox. ap. Ath. XIV, p. 643. B(?); παλίνρυτος Phot. p. 374, B.

?παλίσσυτον δράμημα, retro properans, retrogradum, O. R. 193; Eur. Sppl. 388; Lycophr. 1461; Apoll. Rh. 1, 1206. 3, 112. 306; al.[28])

ἀρτίχριστον (φάρμακον) recens illitum, Tr. 687.

εὐ—

εὐκροτήτου πρόχου, bene cusae, Ant. 430; Eur. El. 819.

εὔσεπτος, i. q. εὐσεβής, O. R. 864. — cf. ἄσεπτος p. 21.

εὐσκίαστος, i. q. εὔσκιος, bene opacatus, O. C. 1707.

εὔμνηστος, qui bene recordatur, memor, Tr. 108. Nomen propr. Εὔμνηστος saepius occurrit in inscriptionibus Samothrac. et Attic.

δυσ—

δυσθεράπευτος, intractabilis, Ai. 609; Hippocr. p. 21, 26; Eustath. p. 1827, 61; Pallad. vol. 2, p. 184. Adv. —ως Ammon. p. 11. — δυσθεραπευσία Cass. Probl. p. 331, 18. — ἀθεράπευτος Xenoph.

δυσθρήνητον (ἔπος) miserabiliter fletum, i. e. miserabili fletu editum, Ant. 1211; Eur. I. T. 143.

δυσάλγητος, i. q. ἀνάλγητος, qui aegre afficitur dolore, O. R. 12: immisericors, fr. 689 (867): contumax. Eupol. ap. Polluc. 3, 130; Phil. vol. 2, p. 268, 47.

δυσκάθαρτος Ἅιδου λιμήν, inexpiabilis, Ant. 1284; Aristoph. Pac. 1250; Plut. Mor. p. 991. — cf. δυσεκκάθαρτος Dion. A. R. 4, 24. et ἀκάθαρτος, ap. Soph., Plat., al.

---

27) Sic felicissima manu emendavit Bothius collatis Eur. El. v. 1155: «παλίρρους δὲ τάνδ' ὑπάγεται δίκα» et Herc. Fur. 739: παλίρρους πότμος. Libri πολύρρυτον, quod hic quidem loci misere languere nunquam desinam contendere; cf. Blaydesii adnot. — Alterum παλίρρυτος, de quo Lobeckius Paral. p. 431 dicit, ab Hesychio explicatur: εἰς τοὐπίσω ἑλκόμενος.

28) cf. Hesych.: παλίσσυτοι· ἀναχωρήσαντες.
παλίσσυτον· ἐξ ὑποστροφῆς.

δύσνιπτον γραφήν, quae elui non potest, indelebilem, Tr. 683. — cf. δυσέκνιπτος, Plat. Republ. 2, p. 378. D. et ἄνιπτος, ap. Hom. et Aesch.

δυσπρόσοπτος adspectu ingratus s. tristis, El. 460, O. C. 286; Poll. 1, 117; Plut. Aem. Paul. c. 12; adv. —ως Eustath. p. 630, 16.

δυσπρόσοιστον στόμα, cui (precibus) instare difficile est, inexorabile, O. C. 1277. — cf. εὐπρόσοιστος Eur. Med. 279; ἀπρόσοιστος Aesch. Pers. 91; δύσοιστος Aesch. Prom. 691, Soph. Ph. 507. O. C. 1687.

δυσκόμιστος (πότμος), aegre tolerabilis, Ant. 1346; Eur. Herc. F. 1422; Constant. Man. Amat. 6, 48; Hesych. s. v. γλυκὺς ἀγκών.

δυσλόγιστος, intellectu difficilis, Ai. 40; Plut. Mor. p. 981. E; Galen. vol. 12, p. 2. — cf. ἀλόγιστος, ap. Soph., Eur., Thuc., al.

δυσέριστον αἷμα, difficile impugnatu, invictum, El. 1385. Memorat vocem Phryn. Bekk. Anecd. p. 37, 7, usurpat Hesychius s. v. δυσήριστοι. — cf. El. 213: οὐκ ἐριστά.

δυσπέλαστον accessu difficile, fr. 663 (839) non concedo Nauckio nullo pacto dici posse τὸ τῆς ἀμαθίας κακόν, si quidem simillime νόσον Sophocles appellavit ἀποτίβατον, quod v. p. 22. cf. ἀπέλαστος Plat. Sympos. 9, 15, 2. et ἀπροσπέλαστος schol. O. R. 472.

δυσούριστον (νέφος) O. R. 1315. haud infacete Hermannus interpretatus est: «caliginis nubes saeviter secundo vento adducta». At quamvis per se spectata iucundissima sit huiusmodi significatio, qua oxymoron quoddam orationi inditur vehementi regis dolori optime respondens, tamen vix mihi persuadeo non adiunctam esse a poeta ἀδάματον voci eius generis adiectivum, quo eadem ista indomiti notio repeteretur atque adeo augeretur. Accedit, quod pugnare Hermannianam explanationem cum οὐρίζειν verbi potestate planum fecit Wunderus. Qui idem cum auctore Brunckio malum intellegendum doceret tale, quod nullo iam vento secundo s. nulla prospera fortuna «meliorem in locum deduci», i. e. sanari posset, ipsam illam quam requiri modo animadvertimus notionem verbis Sophocleis inseruit. Attamen quominus ab omni dubitatione tutum vocabulum praestitisse Wunderus putetur, mancum obstat huius versus metrum, quod cur antistrophicorum verborum sollicitatione ulla sublevetur, nulla causa apparet satis iusta. Strophicorum autem

versuum sententia ea est, ut nihil quicquam in fine versus 1315 excidisse conici liceat. Quibus de causis ita iudico, non extra fines — id quod Hermanno visum est — sed infra fines δυσούριστον nominis vitium residere atque corruptum id epitheton esse ex vocabulo aliquo, quod totum dochmium expleverit.

ἀ —

ἀσπάθητον χλαῖναν· «τὴν δορὰν, παρόσον οὐχ ὕφανται» (Hesych.), fr. 849 (791); Dion. Hal. Epit. 16, 7, p. 87.

ἀπόνητος, i. q. ἄπονος, illaesus, impunitus, El. 1065. cf. Herodotea ἀπονητί (6, 25) et ἀπονητότατα (2, 14. 7, 34).

ἀφόβητος, imperterritus, ἄφοβος, O. R. 885; Antip. Sid. Anth. Pal. 9, 54, 4.

ἀφίλητος, non dilectus, ἄφιλος, O. C. 1702.

ἀψόφητος ὀξέων κωκυμάτων, non edens strepitum acutarum lamentationum, abstinens lamentationibus, Ai. 321. — cf. ἄψοφος, ap. Soph., Eur., Hippocr., Plut., al.

ἀλοιδόρητα, non maledica, fr. 731 (767); Plut., Cyrill. Al.; Poeta ap. Tzetz. — cf. ἀλοίδορος Aesch. Ag. 394.

ἀνόσητος, i. q. ἄνοσος, fr. 838 (911).

*ἀναμπλάκητος et ἀναπλάκητος, non aberrans (a scopo). Prior forma legitur Tr. 121. de Hercule, qui certum vitae cursum tenet feliciterque (ἀσφαλῶς) labores impositos superat: altera in O. R. v. 472. Furiarum est cognomen, quae ἄφυκτοι οὖσαι homines scelestos nunquam non consequuntur.

ἀμόρφωτος, non formatus s. cuius forma non bene expressa est, ἄμορφος, fr. 243 (228); Tim. Socr. p. 94 A; Ptolem. Math. Comp., Dionys. Areop.

ἀφύλλωτον πέτραν, fr. 281 (276) non foliatam, h. e. arboribus carentem; cf. Hom. ἄφυλλος.

ἀπυνδάκωτος κύλιξ, i. q. ἀπύθμενος, non fundatus, fundo carens, fr. 291. 541 (290. 550). — cf. εὐπυνδάκωτος Luc. Lexiph. 13 et ὀξυπυνδάκωτος, quod Lobeckius citat Paral. p. 284.

ἀνανδρώτοισι (εὐναῖς), viri orbatis[29]), ἀνάνδροις, Tr. 109.

---

[29]) Discessit poeta a vulgari verbi ἀνδρόω significatu, quem si secutus esset, ἀνάνδρωτον eum vocasset, qui puber nondum factus esset. Immo prorsus non respexisse illud verbum et ab ἄνανδρος adiectivo novum verbum ἀνανδρόω induxisse Sophocles est putandus.

ἀνύμφευτος, El. 165: innupta. Eodem epitheto Cleopatra significatur infaustis nuptiis iuncta Ant. 980, ubi memorabili audacia, quod conubii est, procreationi liberorum inde ortorum tribuitur (ἀνύμφευτον γονὰν ματρός = ἀνυμφεύτου ματρὸς γονάν). — Lycophr. 1153; Nonn. Dion. 5, 570: ἀνύμφευτοι γάμοι; Argent. Epigr. (Anth. Pal. 9, 229, 6); al. — cf. δυσνύμφευτος Anth. Pal. 7, 401.

ἀπαρθένευτος, non devirginata[30]), incorrupta, «ἀκέραιος, καθαρά» (Hesych.), fr. 287 (283).

ἀχόρευτα ὀνείδη, non prosequenda saltationibus, non laetabilia, El. 1069; Eur. Tro. 121. Plat. Legg. 2 init., Nonn. Dion. 4, 223; al. — cf. ἄχορος ap. Aesch., Soph., Eur., al.

ἄγραπτα θεῶν νόμιμα, leges divinae non scriptae (sed mentibus humanis insitae), quae alioqui νόμοι ἄγραφοι dicuntur; Ant. 454. — v. Ellendt. s. v.

ἄστειπτος, non calcatus, Ph. 2.

? ἀκάλυπτος i. q. ἀκαλυφής, O. R. 1427; Aristot. H. A. 1, 4, 1. Lucian., Plutarch., Dio Chrys.

ἄσεπτος i. q. ἀσεβής, O. R. 890. fr. 47 (48); Eur. Bacch. 890. Hel. 542. Iph. Aul. 1092; Lycophr. 1200. — cf. ἀσεπτέω, Ant. 1350 et εὔσεπτος p. 18.

ἄκλεπτος, non decipiens, fr. 615 (623).

ἀψάλακτος, non attrectatus, fr. 495 (505); Aristoph. Lys. 275; Cratin. ap. Suid.

? ἄθρακτος[31]) i. q. ἀτάρακτος, non turbatus, fr. 812 (947).

ἀσάλπι(γ)κτον ὥραν, horam quae tubae sonitu non indicatur, fr. 351 (356). Sic — non sine comico quodam sapore — poeta appellavit «τὸ μεσονύκτιον· ἑσπέρας γὰρ καὶ ὄρθρου ἐσάλπιζον». (Hesych.)

ἀδέρκτων ὀμμάτων, visu privatorum, caecatorum, O. C. 1200.

---

[30]) Parum probabilem Passowius (lex. Gr. s. v.) hanc significationem censet vocabuli, quod contrario sensu bis usurpat Euripides: Iph. Aul. 993 et Phoen. 1739. Sed haud incredibile est duplici sensu verbum παρθενεύειν praeditum fuisse eodem modo, quo χορεύειν idem interdum valet ac διαχορεύειν; cf. Eustath. ad Od. XI, 290.

[31]) Ab Sophocle num inventum vocabulum sit, duabus de causis anceps haeret iudicium: primum quod ambiguis verbis usus est, qui fragmentum hoc servavit, grammaticus Bekkeri, tum quod nescitur, quemnam ad auctorem referenda sit haec glossa Hesychii: ἄθρακτοι· ἀτάρακτοι.

Alio sensu ibid. 130. adverbium ἀδέρκτως positum est (de hominibus, qui aversis oculis Furiarum lucum praetereunt).

? ἀστένακτος non ingemiscens, Tr. 1074, 1200; Eur. Alc. 173. Hec. 690; Lycophr. 781; Dionys. Hal., Plutarch., al.

ἀκτέριστος, cui iusta non facta sunt, qui neque humationem neque inferias nactus est, Ant. 1071. 1207; Lycophr. 907. 1155. 1207; Gregor. Naz. Carm. p. 77, D. — Altera forma ἀκτερέϊστος exstat ap. Nonn. Dion. (5, 430. 35, 374) et alibi.

ἄξεστος non dolatus; asper, O. C. 19. fr. 487 (299); cf. εὔξεστος Homericum et πολύξεστος, Aesch. Suppl. 478.

ἀκτένιστος (κόμη), impexa, O. C. 1261.

ἄδαστος indivisus, Ai. 54.

ἄναντα, concisa s. comminuta, «παρὰ τὸ αἴνειν, ὅ ἐστι κατακόπτοντα πτίσσειν» (Hesych.), fr. 275 (273). Cum hoc cave confundas alterum ἄναντα, ab αἴνω (= διαίνω) propagatum, quod apud scriptores quosdam sonare «τὰ μὴ βεβρεγμένα» idem Hesychius perhibet[32]).

ἀποτίβατος νόσος, proprie: inaccessa, i. e. intractabilis, Tr. 1030. Atticam formam ἀπρόσβατος praebent Aristoteles (H. A. 6, 5; 9, 11); Plut. Alex. (c. 58); Polyaen. (8, 25); Lucian. (Prom. c. 1).

A praesenti profectum eamque ob rem ampliore suffixo (— ετος) formatum unum ? ἀλάμπετος est, O. C. 1662, quod cum ὀμάχετος, ἀπεύχετος, πολυεύχετος, al. Lobeckius composuit Paralipp. p. 479 et Parerg. ad. Phryn. p. 571. Appellatur autem hoc nomine arcana illa quo Oedipus descendit telluris vorago; quae cum paulo ante εὔνους vocata sit, suavissima efficitur notionum contrariarum, benignitatis et horroris, consociatio. Quare cum Hermanno, Wundero, al. praeferendum hoc ἀλάμπετος duco alteri lectioni ἀλύπητος (quae si adoptatur, εὐνοίας significatio denuo repetitur), licet posteriori scripturae multo magis faveat auctoritas codicum. Sophocles vero num primus ἀλάμπετος scripserit — si omnino scripsit — incertissimum est, cum eandem vocem libri tueantur in hymn. Hom. 32, 5; quamquam Hermannus ibi ἀπολάμπετος legi voluit; praeter quem locum ἀλάμπετος in his

---

[32]) Adde, quod ex duabus praepositionibus conglutinatum est, adverbium ἄναντα, Hom. Il. XXIII, 116 (πολλὰ δ' ἄναντα κάταντα πάραντά τε δόχμιά τ' ἦλθον).

quoque invenitur: Anon. ap. Diog. L. 9, 16 (Anth. Pal. 9, 540) et Marmor. Ox. p. 79. — cf. ἀλαμπής, ap. Soph., Hippocr., Theophr., Plut., al. et Aesch. Prom. 1028: ἀναύγητον Ἅιδην[33]).

§ 8.

c. Membrum determinans, quod praecedit, est numerale.

Quae ex numerali sive adiectivo sive adverbio a Sophocle composita sunt, maiore ex parte ad multum celebratam illam pertinent orationis ubertatem, qua poetae, ne nuda frigeat numeri significatio, novum, quamvis leve, momentum cogitationi addunt. De hac vero dicendi arte cum infra (c. IV, § 4) dicenda sint plura, hoc loco longiore de ea disputatione supersedere nobis licet singula enarrare gestientibus.

Praemitto διστόλους ἀδελφεάς, O. C. 1055, proprie: dupliciter profectas, i. e. par sororum una profectarum. — cf. δωδεκάστολοι νᾶες, Eur. J. A. 277 (= δώδεκα νᾶες), μονόστολος Alc. 408. Phoen. 742.

Subsequatur ? δίγονος μάσθλης, i. q. διπλοῦς, fr. 137 (125); Eur. El. 1179; Epigr. Anth. Pal. 9, 524; Maneth. 5, 291. cf. Eur. Jon. 496: τρίγονοι κόραι, Herc. F. v. 1023: τέκνα τρίγονα. Aesch. Agam. 1436: διφυεῖσι Τανταλίδαισιν, sim.

δικρατεῖς, Ant. 146: λόγχας, hastas (Eteoclis et Polynicis) «dupliciter victrices, i. e. quarum utraque victoriam reportavit»; Ai. 251: Ἀτρεῖδαι, «dupliciter regnantes, bini reges»[34]), quos eodem sensu δισσάρχας Sophocles dicit Ai. 390. cf. Aesch. Ag. 42—44: Μενέλαος ἄναξ ἠδ' Ἀγαμέμνων, Διθρόνου Διόθεν καὶ δισκήπτρου Τιμῆς ὀχυρὸν ζεῦγος Ἀτρειδᾶν.

τρισπόνδοισι (χοαῖσι), libationibus ter fusis, i. e. quibus lac, vinum, mel (defunctorum Manibus) offeruntur; ternis, Ant. 431[35]).

---

[33]) Horum quae modo enarravimus numero num adnecti liceat, quod in fr. 146 (146) libri optimi exhibent, ἀνάρατος, inoptata, ambigendum est, quamvis disertum haec scriptura patronum nacta sit Schneidewinum (Philolog. 3, p. 122). Ceteri codices: ἀνάρεστος, ἀνάρετος; Grotius ἀνέραστος, Brunckius: ἀνάρσιος.

[34]) Acceptas refero accuratas hasce vocabulorum interpretationes Io. Schmidtio (l. c. p. 46 sqq.).

[35]) Ad formam simillimum, sed ad significatum longe alienum est Aeschyli (Ag. 231) τριτόσπονδος αἰών.

*τριζύγων (χαρίτων)[36], ter iunctarum, i. e. trium Gratiarum, quae manibus copulatis choreas ducunt, fr. 490 (500). Eur. Hel. 357. — cf. τριζυγέες χάριτες, Macedon. Anth. Pal. 11, 27, 4. τρίζυγες μοῦσαι Antip. Sid. Anth. Plan. 220, 1; Epigr. Archiae Anth. Pal. 6, 13, 2: τρίζυγες σύναιμοι.

Diversa ab his sunt, quae reliqua fecimus, δίπαλτος, Ai. 407, et τριπόλιστος, Ant. 858. Sufficiebat enim in illis, de quibus modo dictum est, membrum prius ad sententiam loci ita, ut posterius iucundo quodam modo abundans ornatui tantum verborum ac sensus inserviret. In his integram retinet pars subsequens vim ac potestatem suam. Habent autem δίπαλτος et τριπόλιστος id commune, quod numerale amplificato intellectu positum non certum numerum, sed generaliter frequentiam seu multitudinem indicat. Nam ut τριπόλιστον notat τὸ «πολλάκις ἀναπεπολημένον[37]) ἢ διάσημον καὶ πανταχοῦ ἀκουόμενον καὶ πολούμενον», ita δίπαλτος is est exercitus qui duplicata, h. e. summa vi, «παντὶ σθένει», in Aiacem cooritur[38]). Ceterum quantopere uterque locus tentatus a viris doctis sit, alienum a proposito est hic expromere.

§ 9.

d. Membrum determinans, quod praecedit, est praepositio.

ἀμφί.

ἀμφινείκητον ὄμμα νύμφας, «lite expetitum» (Ell.), Tr. 527. cf. ἀμφινεικής ib. 104; Aesch. Ag. 664 et ἀμφίνεικος, Hesych.

ἀμφίθρεπτον αἷμα, cruor circum (cuspidem sagittae) concretus. — cf. Il. V, 902. 3: ὡς δ' ὅτ' ὀπὸς γάλα λευκὸν ἐπειγόμενος συνέπηξεν ὑγρὸν ἐόν, μάλα δ'ὦκα περιτρέφεται κυκόωντι.

ἀμφιθήκτῳ ξίφει, utrimque acuto, ancipiti, Ant. 1309. cf. ἀμφιθηγής, Philipp. Anth. Pal. 6, 94, 5.

---

[36]) Sic vulgo editur; libri: ζυγῶν; Nauckius: ζυγίων, quocum cf. Eur. Hipp. 1147: συζύγιαι χάριτες.

[37]) Proposuit hanc explicationem scholiastes, quem Hermanni a vituperatione bene tutatus est Boeckhius (ad. h. l.).

[38]) Favet huic interpretationi maxime ille locus, quem ad illustrandam vocem Aeschyleam τρίπαλτος, Sept. 985, Blomfieldius attulit: δίπαλτος ἡμῖν ὁ πονηρὸς ἔπεισιν. De Eur. I. T. 323 (δίπαλτα ξίφη) et Tro. 1102 (δίπαλτον πῦρ) v. Jo. Schmidt. p. 52 adn. 22.

ἀμφιπλήκτων ῥοθίων, undarum (insulam) undique pulsantium, circumsonantium, Ph. 687; cf. Hesych.: ἀμφιπλήκτοις· ἀμφιθαλάσσοις.

ἀμφίπλεκτοι κλίμακες, πάλης εἶδος «positum in eo, ut quis averteret adversarium atque a tergo complexus quasi per scalam dorsum eius conscenderet» (Herm.), Tr. 520.

ἀμφίκλυστος, Tr. 572. ἀκτή, ib. 780: πέτρα, quae undique (mari) alluitur; Lycophr. 633; Strab. 17, p. 793; Dosiad. Anth. Pal. 15, 26, 15. — cf. περίκλυστος hym. Hom., Aesch., al.

ἀμφιτρῆτος αὐλίου, antri utrimque perforati, i. e. binis ostiis instructi, Ph. 19; Eur. Cycl. 707 (πέτρα); Nonn. Io. 9, 21, 1. — cf. ἀμφίτρητος Quint. Maec. Anth. Pal. 6, 233, 1.

ἀμφιπλήξ ab utraque parte feriens, Tr. 930 de gladio ancipiti; O. R. 417 de gemina quae Oedipo imminet exsecratione (μητρός τε καὶ πατρός); Leonid. Tar. Anth. Pal. 6, 105, 3; Poll. 9, 18(?).

ἀντί.

ἀντίπλαστος, ad similitudinem alicuius rei formatus, «ἰσόπλαστος» (Hesych.), consimilis, fr. 268 (264).

ἀντιπλῆγες ἀκταί incertus sum utrum passive cum scholiasta sumam pro «ἀντιπλησσόμεναι», i. e. ventis offensae, an active pro litoribus, quae ventorum et undarum vim infringant, Ant. 592. cf. Od. V, 418: ἠιόνας παραπλῆγας.

ἀπό.

ἄφορμος, i. q. ἀφορμηθείς, O. C. 234. — cf. Eur. Hipp. 166: ἔπλευσεν Κρήτας ἔξορμος.

ἄπουρος v. s. v. πρόσουρος c. V.

ἀποστιβής, proprie: discedens (a ceterorum hominum viis); solitarius, fr. 502 (511). — cf. μονοστιβής, Aesch. Ch. 755, et Hom. Il. VI, 202: πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

διά.

διάβορος, Tr. 676: peresus; active de vulnere corpus conficiente Phil. 7. Tr. 1084.

διηλιφής perunctus, fr. 148 (140).

ἐκ.

ἐξοικήσιμος[39]), «habitabilis et habitatus» (Ell.), O. C. 27.

---

[39]) De praepositionis ἐκ potestate v. Meinekii adnot.

ἔκτιμος dehonestans[40]), El. 242: γονέων ἐκτίμους ἴσχουσα πτέρυγας γόων, proprie: sistens alas gemituum parentes dehonestantes, h. e. omittens lamenta ita, ut parenti non praebeam honorem.

ἐπί.

ἐπιβρόντητος, attonitus, h. e. vesanus, Ai. 1386 (ubi schol. ὃν εἰώθαμεν λέγειν ἐμβρόντητον).
ἐπώμοτος, active Tr. 427: iuratus; passive ib. 1188: per quem iuratur (Ζῆν' ἔχων ἐπώμοτον).
ἐπίφαντος, quae oculis cerni (adhuc) potest, viva. Ant. 841. — cf. ἐπιφανής, Herod., Pind., Thuc., Plat., al.
ἐπόψιμος, adspectabilis, tolerabili adspectu, O. R. 1312.
ἐπίπολος, i. q. πρόσπολος vel ἀμφίπολος, O. R. 1323.
ἔπουρος v. πρόσουρος c. V.

κατά.

κατάμεμπτος, vituperabilis, O. C. 1235. 1695. cf. κάταμομφος Aesch. Ag. 137.
καταλύσιμον[41]), solubile, delebile, El. 1246.
καταστεφῆ, coronatum, Tr. 178; Eur. Suppl. 259; Apoll. Rh. 3, 220.
κατασκαφὴς οἴκησις, effodiendo facta; excavata, Ant. 891.
καταρρυεῖς μηροί, deflui, delapsi, Ant. 1011.
καταρρῶγες πέτραι, praeruptae, Ph. 937.

Obscurae significationis est ? κατουλάς, fr. 383 (397), noctis epitheton, quod unde deducendum esset, iam Photius dubius haesit. Complures autem grammaticus temptat vocabuli explicationes, quarum illa probabilissima videtur, quae primo loco posita invenitur: τὴν κατίλλουσαν (Ellendt. κατειλοῦσαν) καὶ κατείργουσαν, h. e. caligine omnia prementem et quasi includentem[42]). Nec tamen est, opinor, cur prorsus spernatur interpretatio Passowii ab οὖλος

[40]) Habet igitur hic, ut saepe, privandi vim praeverbium ἐκ, differtque epitheton ea tantum re ab ἀπότιμος (Herod., Soph.), quod hoc passive, nostrum active dicitur. Alias idem vocabulum significationes habet ap. Hesych. (s. v. ἔκτιμα) et in Tit. Delph. Boeckh. Inscr. Gr. vol. I, p. 830 n. 1706, v. 13.

[41]) De suffixo ιμος v. Lob. Proleg. Pathol. p. 161.

[42]) Eandem ει diphthongi in ου mutationem monstrat οὐλαμός, de quo v. Curt. Grundz. ed. IV, p. 539 s. v. εἴλω, et, quod ipse Photius citat, ἐξούλης (δίκη).

vocabulum repetentis spissamque noctem designari iudicantis: eodem enim modo cotidianam terminationem Nicander repudiavit, non οὔλην, sed οὐλάδα vocans quercuum comam (χαίτην δρυὸς οὐλάδα κόψας, Alex. 260).

μετά.

μετάδρομοι (ἄφυκτοι) κύνες, insectantes, vindices (Furiae), El. 1387; Eustath. Opusc. p. 107, 72. cf. μεταδρομή, Eur. Iph. T. 941 (μεταδρομαῖς Ἐρινύων); Xenoph. Cyneg. 3, 7; 6, 20; 9, 18. μεταδρομάδην, Hom. Il. V, 80.

ξύν.

ξύμφρουρον (μέλαθρον), Ph. 1452, simul custodiens, i. e. «φρουρὸν συνὸν ἐμοί» (Matth.), quod tanquam custos mecum societatem habuit; cf. οἴκησις ἀείφρουρος p. 15.

περί.

περίφαντος, i. q. περιφανής undique conspicuus, Ai. 229. 599; Orph. hymn. 19, 1; Anth. Pal. 8, 202.
περιβρυχίοισιν οἴδμασιν, Ant. 336 undis (navem) undique humectantibus s. alluentibus (περιβρέχουσιν)[43]). — cf. βρύχιος, ap. Aeschyl., et Homerica ὑποβρύχιος, ὑπόβρυχος.
περιπτυχής, Ai. 915 de velamine, quod Aiacis corpori circumdatur; ib. 899 de ipso Aiace, qui ensem terrae infixum, quo transfossus iacet, undique amplectitur eique tanquam circumvolutus est. Posteriorem dicendi rationem, quae, quamvis quaesitae cuiusdam subtilitatis vix possit absolvi, tamen bene inservit rei sub oculos subiciendae, aliorum poetarum locis maximeque Homeri satis illustraverunt interpretes.

πρός.

πρόσουρος v. c. V.

ὑπέρ.

ὑπεραλγής nimis dolens, quod epitheton ab animo ad affectum animi, χόλον, traducitur El. 176; Polyb. 3, 7, 12; Suid. — cf. ὑπεραλγέω, ap. Soph., Eur., Aristoph., al.

[43]) Utitur hoc verbo Const. Man. Amat. 4 9. 9, 52. — cf. Hermann. ad Aesch. Prom. 1085 et Curt. Grundz. ed. IV, p. 705.

ὑπερβριθὲς ἄχθος, nimis gravans, Ai. 951.
ὑπερίστωρ, nimis sciens seu perita, El. 850.

ὑπό.

*ὑπόφονος, subdole interficiens, Hermannus restituebat Tr. 839 coniectura parum firma, cum corruptior totus locus sit, quam quem nostris subsidiis in ordinem cogi posse sperari queat[44]).

§ 10.

Iam subsequenti parti commentationis locum relinquere tempus esset, nisi etiam ea afferre utile videretur substantiva, quae profluxisse censenda sunt ab adiectivis determinativa ratione compositis.

εὔσοια, incolumitas, O. C. 390; fr. 124 (119). — εὔσοος Theocr. 24, 8.
εὐφορβία, satietas pabuli (quae lasciviam parit), fr. 727 (763). — cf. nom. propr. Εὔφορβος, ap. Hom. et alibi.
κακανδρία, i. q. ἀνανδρία, ignavia, Ai. 1014; Eur. Rhes. 814; Cyrill. Al.
παμπληθία, tota multitudo, fr. 342 (343). — cf. παμπληθής, vocem usitatissimam, et παμπληθεί, ap. Lucian., Dion. Cass., al.

Caput III.

Obiectiva sive composita dependentiae

sunt, quorum inter membra regiminis ratio intercedit. Aptum enim alterum membrum est ex altero, idque ita, ut plerumque casus alicuius obliqui vice fungi membrum pendens videatur. Duplicem autem ad normam huiusce classis exempla formantur, in qua prae aliis enitet «mirabilis Graeci sermonis mobilitas, volubili orbe omnia rursum prorsum agentis» (Lob. Phryn. p. 628). Licuit enim Graecis neglecta membrorum structura utramque partem aut priore aut posteriore in sede collocare ita, ut nunc pendens regenti, nunc regens pendenti praecederet. Et in iis quidem, quorum

---

44) ὑποφόνιος, quod idem Hermannus antea dederat et Ellendtius recepit, ipse vocabuli auctor analogiae repugnare (quarta in editione) confessus est.

A. Membrum regens subsequitur,

aut substantivum aut adiectivum substantive positum priorem locum obtinet; membrum regens autem aut et ipsum nomen est aut a verbo repetendum.

§ 1.

1. Membrum regens est substantivum.

Summam cautionem adhiberi oportet in hoc tractando compositionis genere, cui cavendum est ne vocabula obtrudantur, quorum membra posteriora, quamvis substantivorum speciem ac formam induerint, nihilominus a verborum stirpibus descenderint, velut νομοθέτης, ἀμαλλοδετήρ, κουροτρόφος, παιδαγωγός, alia permulta, de quibus perdiligenter Schroederus exposuit l. c. p. 205 sqq. Sunt igitur ea tantummodo composita huc arcessenda, in quibus quae secundam sedem obtinent voces, eae aut omnino non possunt a verbis deduci (cf. πατροπάτωρ, ἡ πατρομήτωρ, κυνόδους al.), aut a verbis licet profectae sint, tamen tam usitatam habent significationem nominalem, ut ne aliis quidem vocabulis affixae substantivi dignitatem potestatemque deposuisse putari queant. Eiusmodi nominum haec manus exigua Sophocli debetur:

ποντοναύτης, maris nauta, fr. 499 (508); cf. ποντοπόροι ναῦται, Hom. Ep. 8, 1.
ναοφύλαξ, quod in fr. 151 (144) idem est atque Aristophaneum (fr. 339 Dind.) ναυφύλαξ, navis custos, ab Euripide (J. T. 1284) et Aristotele (Pol. 6, 8) de aedituo ponitur, qui Orell. Inscr. I, p. 526. 527. 530. 541 νεωφύλαξ appellatur.
ψευδοκῆρυξ, Ph. 1306, mendaciorum praeco, etiam determinativam explanationem tolerat (ψευδὴς κῆρυξ), quam Curtius amplexus est in gramm. Graec. ed. X, § 359, 1. — cf. ψευδόμαντις, ap. tragicos, Herodot., al.
ξενόστασις[45]), hospitum statio, O. C. 90; fr. 258 (253). cf. βούστασις, βελόστασις, al.

Liberiore ratione quam in his quattuor compositis, in quibus anticum membrum ut genetivus ex postico aptum erat, in στερνόμαντις[46]), fr. 52 (56) duo substantiva constricta inveniuntur;

---

45) cf. Schroeder p. 553 sqq.
46) Similia vocabula sat multa congregavit G. Meyerus in Curt. Stud.

indicat enim alterum illam rem, in qua personae altero nomine expressae posita sit ars, idque tam indefinite, ut cuiusnam casus munere στερνο— stirps fungatur, praecise ac simpliciter dici nequeat. Quare sensum vocabuli reddenti ambagibus opus est; ut Ellendtius vertit: «pectore futura qui promit».

§ 2.

2. Membrum regens est adiectivum.

χαλαργός, El. 861 (χαλαργοῖς ἁμίλλαις), ex iis vocabulis est, quae, si invertitur membrorum ordo, natura mutata possessivorum in castra transfugiunt. Sic, ut brevi rem absolvam, τρίχουλος est, qui οὖλός ἐστι τὰς τρίχας, οὐλότριχος vero, qui οὔλας ἔχει τὰς τρίχας; eademque ratione inter se differunt πτεροποίκιλος et ποικιλόπτερος, ποδαργός et ἀργίπους, ποδώκης et ὠκύπους, alia. His praemonitis de audaci qua locus Sophocleus insignis est metaphora verba essent facienda, nisi infra (c. IV, § 5) de toto hoc dicendi genere copiosius disputare in animo nobis esset. Quare id unum hoc loco statuatur, χαλαργοὺς ἁμίλλας certamina esse, in quibus ἵπποι τὰς χηλὰς ἀργοὶ conspiciantur, quasi χαλαργῶν (ἵππων) ἁμίλλαις poeta dixerit.

§ 3.

3. Membrum regens est verbum.

a. Membrum suspensum vim habet accusativi.

α. Nomina primae declinationis.

ἀγωνοθήκη μοχθηρῶς dictum esse pro ἀγωνοθεσία Pollux observavit fr. 802 (884), cuius iudicium Lobeckius Paralip. p. 374. 5 comprobavit similium vocabulorum comparatione (ἀρτοθήκη, αὐλοθήκη, βιβλιοθήκη, al.), ex quibus nullum ait non significare rerum quarundam receptaculum s. armarium. Eandem autem ob anomaliam Dindorfius monet vituperandum esse Timonem sillographum, qui fr. XXXII. (ed. Wachsm.) νομοθήκη pro νομοθεσία scripserit.

---

vol. VI, p. 252, qui verbalem vim μάντις voci inesse ratus priorem partem pro accusativo sumit. Sed valent contra Meyerum illa exempla quae ipse ib. p. 254 composuit. cf. Clemm. Curt. Stud. VII, p. 85, 86.

πατροφόντης, i. q. πατροφονεύς vel πατροφόνος, parricida. O. R. 1441. Tr. 1125. — cf. μητροφόντης Eur. Or. 490.

οἰωνοθέτης, i. q. οἰωνοπόλος, «ὁ τὰς πτήσεις τῶν οἰωνῶν διατιθεὶς καὶ εὐκρινῶν» (Tricl.). O. R. 484.

ἱπποδέτην ῥυτῆρα, lorum equos ligans, h. e. quo equi reguntur, Ai. 241. — cf. Paus. (9, 26, 1) et Hesych. s. v., qui Herculem Orchomeni Ἱπποδέτην vocatum esse referunt.

* μαριλοκαύτης, fr. 908 (959), qui carbones coquit, carbonarius. — v. Ellendt. s. v. μαρεινή.

ζευγηλάτης, fr. 545 (554), et ζευγηλατρίς, fr. 883 (792), qui (quae) iumenta agit. Priorem formam recepit Xenophon Anab. 6, 1, 8, ubi et ζευγηλατεῖν legitur; cf. ζευγηλασία, ap. Eustath.

τροχηλάτης[47]), qui currum regit, auriga, O. R. 806; Eur. Phoen. 39. De equo currum trahente Sext. Emp. Adv. Math. 9, 228, p. 599. — cf. τροχήλατος, ap. tragg.

δερμηστής, fr. 397 (408), pellem rodens, veri similius videtur exaratum esse a Sophocle ac de verme dictum, quam quod Aristarchus maluit δερμιστής, de serpente accipiendum illud pellem mutante; cf. Lob. Paral. p. 450 et Ellendt. s. v.

παγκοίτης, Ant. 804 (θάλαμος, sc. inferorum) et 810 (Ἅιδας), non destiti adhuc pendere animi possessivumne esset an ad verbalem stirpem (κι-, κοι-μάω) referendum ita, ut nomina in της terminata agentesque homines significantia respexisse Sophocles putaretur, iuxta ac si dixisset παγκοιμήτης.

τεκνολέτειρ' ἀηδών, El. 107, quae pullos amisit, pullis orbata; cf. Eur. Rhes. 540: παιδολέτωρ ἀηδονίς, et Nonn. Dion. 44, 91: ὠλεσίτεκνος. — De formatione finali cf. παιδολέτειρα, Eur. Med. 849 et ἀνδρολέτειρα, Aesch. Sept. 295. Ag. 1433.

θεσπιέπεια (Δελφὶς πέτρα), divina respondens, fatidica, O. R. 463, duplici formationis insolentia insignitum est: primum quod epicorum poetarum consuetudine revocata εια positionem Sophocles affixit adiectivo ad masculinum in ης redeunti (θεσπιεπής)[48]), tum quod bis eandem (dicendi) notionem poeta composuit (ἐπ—).

[47]) cf. ἱππηλάτης, Hom., διφρηλάτης, Pind., Aesch.. βοηλάτης, Pind., Aesch., ἀνδρηλάτης, Aesch., ἁρματηλάτης, Soph., Xen. al., ἰχνηλάτης, Anth., Plut.

[48]) cf. Lobeck. Phryn. p. 538.

Prius ut ille auderet, imitatione adductus videtur Hesiodi, apud quem ἀρτιέπεια et ἡδυέπεια legerat (Th. 29. 965); alterum excusationem habet ab eo, quod duarum vocum compagem θέσπιος esse, tunc temporis Graeci non iam videntur sibi fuisse conscii. — cf. θεσπιῳδός, ap. tragg.

β. Nomina secundae declinationis.

στερνούχου χθονός, terrae planitiem habentis, O. C. 691, nolim patrocinium suscipere Hermanni adversus vituperationem, qui veretur, «ne Sophocles novitatis studio vocem finxerit parum poeticam». Deest enim potissima, h. e. amoenitatis, significatio, quam non omisit Hesiodus, cum Th. 117. Sophocle facetius terram εὐρύστερνον diceret.

ψακαλοῦχοι μητέρες, fr. 962 (720), ψάκαλα (pullos) ἔχουσαι.

* πανοῦχος, fr. 192 (186); facem gerens[49]). — cf. λαμπαδοῦχος, Eur. Iph. Aul. 1505.

ἀσπιδοῦχος, clipeum gerens, fr. 376 (391); Eur. Suppl. 1144. cf. Aeschylea ἀσπιδηφόρος et ἀσπιδηστρόφος.

ἰξοφόρους δρύας, viscum gerentes, fr. 354b (369); Opp. Hal. 1, 32; Constant. Manass. Chron. p. 131; Schol. ad Anth. Pal. 9, 87; Eustath. p. 994, 41, ubi Agathoclem narrat scripsisse Il. XIV, 398: δρυσὶν ἰξοφόροισιν (pro ὑψικόμοισιν). — cf. ἰξοφορεύς, Anth. Pal. 9, 209.

ξοανηφόροι, fr. 410 (411), incertus tragoediae cuiusdam per-

[49]) Miror, quod Meinekius, qui ἄξαντες codicum in ἅψαντες corrigendum viderit, non item offendit in πανοῦχον et φλόγα nominum consociatione, quae quomodo ferri queat, nullo pacto intellegi aut divinari potest. Rectis autem numeris cum verba libris tradita incedant, haud absurda videtur suspicio, πανοῦχος vocabulum primam olim trimetri iambici sedem obtinuisse, post hoc autem vocem aliquam fuisse positam et litterarum ductu illi simillimam et ad φλόγα bene quadrantem. Atque quamvis periculosissimum sit quattuor syllabarum lacunam divinatione explere, praesertim cum interclusus locus sit a sententiarum nexu, tamen plane abstinere coniecturis non videtur esse necessarium. Ac nobis quidem in mentem incidit, num haec dixerit poeta:

πανοῦχον· ἢ πανοῦργον ἅψαντες φλόγα.

Quae verba ita intellegenda esse puto, ut πανοῦχον ad illa referatur, quae praecedentibus versibus olim dicta erant, πανοῦργον φλόγα autem de turpi libidine Satyrorum accipiatur, qua ardentes hos daemones introductos esse hac fabula Nauckius bene monuit.

ditae titulus, a diis repetitus simulacra sua Troia ex urbe auferentibus, cuius interitum imminere praesagiebant.

σακεσφόρος, scutum ferens, Ai. 19; Eur. Phoen. 139; Plat. Comic. (de Epicrate barbam nimis promittente).

ἀνθοβοσκόν, «ἀνθοτρόφον» (Hesych.), fr. 29 (28).

?γηροβοσκός[50]), senectutem alens, Ai. 570; Eur. Phoen. 1435; Xen. Oec. 17, 12. 19; Dion. Hal. A. R. 8, 47. 51. Hinc propagata sunt γηροβοσκεῖν (ap. Eur. et Aristoph.) et γηροβοσκία (ap. Plutarch.). — cf. γηροκόμος, Hesiod. et γηροτρόφος, Pind.

ἐρρηνοβοσκός, fr. 589 (589), quod grammatici veteres interpretantur προβατοβοσκός, mutandum esse aut in ἐρημοβοσκός aut in ἐρεμμοβοσκός Nauckius praecipit in Philolog. VI, p. 389.

?ἀλλοτριοφάγος, fr. 309 (305) aliena comedens. Usurpant vocem Suidas et Eustathius, apud quem etiam derivata ἀλλοτριοφαγέω et —ία exstant.

ταυροφάγος fr. 594 (602) taurivorus, Dionysi cognomen, quod Aristophanes Ran. 360 in Cratinum poetam transtulit ut hominem ebriosum ac voluptatibus Baccheis nimis deditum.

ταυροσφάγος (ἡμέρα), tauros mactans, i. e. solemnis dies, qui tauris necem affert[50]), Tr. 609; Lycophr. 47; cf. Aesch. Sept. 43: ταυροσφαγοῦντες.

ἀνδροφθόρου ἐχίδνης, hominem interimentis, Ph. 266. De ἀνδρόφθορος, Ant. 1022, v. § 10.

ταυροκτόνος, tauros interficiens, Ph. 400; Antip. Stob. Flor. vol. 3, p. 17; Lycophr. 1169. — Accentum una cum significatu immutavit Ammon. p. 134: ταυρόκτονος, a tauro interfectus.

ψηφοποιός, suffragiorum confector, Ai. 1135. Sic a Teucro increpatur Menelaus, cuius fraudulentis artificiis sententiam iudicum adulteratam esse ille contendit. cf. ψηφοκλέπτης, ap. Athen. et Eustath.

οἰκοποιὸς τροφή, Ph. 32, victus atque apparatus, qui asperam Philoctetae speluncam humanis domiciliis quodam modo similem reddit.

δολοποιὸς ἀνάγκα, Tr. 832, dolum struens necessitas, i. e. «dolosa, inevitabilis (Centauri) machinatio» (Herm.).

δολόμυθα κέντρα, Tr. 840, metro claudicante mendae alicuius

[50]) Similia temporum et dierum epitheta conquisivit Lobeck. ad Ai. 324. — cf. § 10.

apertissime arguitur, quamquam quomodo redintegranda Sopho-
clis manus sit, interpretes secum discordant. Omnium autem
lenissime vocem aegrotantem Hermannus curabat, qui inserta
littera ι *δολιόμυθα scribi iussit. Cui correctioni si fidere
licet, dolores ex fraudulento Centauri consilio Herculi allati
haud cotidiana audentia dicuntur «aculei dolosa locuti», i. e.
dolose excogitati.

ψευδόφημος, mendacia enuntians, falsidicus, O. C. 1517.

ποικιλῳδὸς Σφίγξ, perplexa et dolosa canens, O. R. 130.

De σιτονόμου ἐλπίδος, h. e. ἐλπίδος νομῆς σίτου, Ph. 1091, vide,
quae ad κοινότοκοι ἐλπίδες p. 11 dicta sunt, et Lobeck. ad Aiac.
324, qui ex Eur. Hec. 392 σιτοποιὸς ἀνάγκη citat.

ἱππονόμους (βοτῆρας), Ai. 232, Porsonus ex Eur. Hipp. 1399
et Aristoph. Nubb. 571 in ἱππονώμας correxit, in ἱππονώμους
Hermannus, quem secutus Lobeckius est. Sed tali modo quam-
vis bene sanentur numeri vitiati, sensus num pariter adiuvetur,
haud iniqua remanet dubitatio; cf. Blaydesii adnot.

?ἱπποβουκόλοι, quod ambigendum est an apud Euripidem
(Phoen. 28) Pollux legerit, sed memoria destitutus Sophocli
assignaverit, fr. 891 (949), eximio est testimonio, quantum
assidua vocabuli alicuius frequentatio interdum valeat. Neque
enim ullo modo ἵππος et βοῦς nomina coniungere poetae li-
cuisset, nisi plane iam oblitterata fuisset βουκόλος compositi
princeps ac propria significatio (cf. Io. Schmidt. l. c. p. 71 sqq.).
Lobeckio autem οἰοβουκόλος Aeschyleum (Suppl. 289) assimu-
lanti (Paral. p. 373) cave ab omni parte adnuas, quandoquidem
de ovibus pascendis cogitandi nullam chorus regi iudicandus
est dedisse ansam[51])

---

[51]) Simili vitio laborare Wellaueri mihi videtur interpretatio: «pastor
solitarius», quia solitudinis significatio quid hoc quidem loco sibi velit,
minime apparet. Nec magis probo Todtii explanationem (p. 23): «unius
vaccae pastor», qua subtilitas dicendi Aeschylo tribuitur non mediocris
atque quae nescio an Sophoclis potius propria sit. Iubentur enim — si
Todtium audis — lectores vocabulum, quo tanquam simplici uti diu con-
sueverant, in partes singulas dissolvere ita, ut prius membrum attributo
instruant instructamque subsequenti membro denuo cogitatione subiungant.
Quod quidem ab auditoribus fieri propterea dubito num poeta voluerit,
quia illud simplicius est et magis consentaneum, ut quicquid βουκόλος voci
usitatissimae praefigatur, ad universum eius referatur corpus. Sine fructu

μηχανορράφος, qui machinas consuit, dolorum structor, O. R. 387; Eur. Andr. 448. 1116; Themist. Or. 7, p. 92, D; schol. Aesch. Ch. 19; Hesych.

ὀρνιθοσκόπος, auspex; θᾶκον ὀρνιθοσκόπον, auguralem, Ant. 999; Poll. 7, 188; Arcad. p. 88, 26; Ammon. p. 104; Thomas. p. 362. — cf. ὀρνιθοσκοπία, Theod. Prodr., Clem. Rom., al.; ὀρνιθοσκοπέομαι Levit. 19, 26. — οἰωνοσκόπος, Eur. Suppl. 500, οἰωνοσκοπέω, —ία, cet.

λιτροσκόπος, fr. 907 (957), qui λίτρας σκοπεῖ, argentarius.

*κυαμοβόλον[52]) δικαστήν, qui fabam in urnam conicit (ad suffragium suum dandum), fr. 271 (268).

φλαυρουργός, Ph. 35, qui vilia fabricatur, malus artifex.

Terminata in τος.

A verbis transitivis quae formantur adiectiva verbalia in τος desinentia, ea activum significatum non ita crebro adsciscere sciunt omnes; quod etiam rarius accidit, ubi verbo nomen praeponitur; accusativus igitur in hoc ordine minime est frequens.

ἀθηρόβρωτον ὄργανον, aristas perdens, idem instrumentum est, quod Homerus Od. XI, 128 et XXIII, 275 ἀθηρολοιγόν vocat, quibus versibus locus Sophocleus etiam ceteroqui consimillimus est.

ἰσοτέλεστος, O. C. 1220, non dubium est quin aut cum θάνατος aut cum Ἅιδος Μοῖρα iungendum sit mortemque significet omnibus communem (etsi non defuerunt, qui ad κόρος referendum epitheton esse perverse iudicarent). Illa autem notio cum et determinativa explanatione progignatur (ἐξ ἴσου τελούμενος) et obiectiva (ἴσον τελῶν), ratio mihi magis arridet activa, qua Mors tanquam persona aequum omnibus impertire, h. e. omnibus parem finem adducere dicatur.

πανσύρτῳ αἰῶνι, El. 851. Hic locus interpretes haud minus

---

igitur cum exhaustus sit explicationum fons, timendum est, ne non incontaminata sint Aeschyli verba, videndumque, ne alia notio lateat in syllabis οἰο —. Nec multum abest, quin Ἰοβουκόλον putem ab Aeschylo vocatum esse Argum, Ius in bovem mutatae custodem.

[52]) Sic Musurus; Schowius: κυαμοβόλῳ δικαστῇ; Ellendtius retracto accentu: κυαμόβολον δικαστήν; Nauckius: κυαμοβολῶ σε δικαστήν; libri: κυαμοβόλως δικιστήν, quae scriptura fortasse ita retinenda est, ut pro δικιστήν legatur ἐδικάσθην.

vexavit, quam ipse ab illis vexatus est. Acquieverunt tamen eorum plurimi scholiastae in adnotatione: «τῷ πάντα σύροντι τὰ κακά», quam Bergkius, Nauckius, Blaydesius, al. aversati corruptelam suo iure, opinor, statuerunt. Medicinam autem circumspicienti opportune occurrit σύρτις substantivum, ab Hesychio «φθορά, λύμη» explanatum, de quo Lobeckius loquitur Paralipp. p. 549. Quid enim, si πανσύρτει, h. e. omnium calamitatum pleno, Sophocles scripserit? Quod si ponitur, elocutio nascitur tragicis maxime assueta, illa videlicet orationis redundantia, qua notio altero membro adiectivi compositi expressa substantivi alicuius synonymi subiuncto genetivo repetitur[53]).

γ. Nomina tertiae declinationis.

παμβῶτι Γᾶ, Ph. 392, omnia alens[54]), Homeri imitationis notam portat non magis dubiam quam Stasini (ap. schol. Il. I, 5) παμβώτωρ vel Aeschyli (Suppl. 565) πάμβοτος, quae ad exemplar epithetorum πουλυβότειρα, βωτιάνειρα, sim. expressa esse nullo negotio perspicitur.

παγκευθής, O. C. 1563, Orci cognomen omnia recondentis, carminum Homericorum affert memoriam, ubi γαίᾳ vel Ἄϊδι κεύθεσθαι mortui dicuntur.

κυματοαγεῖς ἆται, O. C. 1243, calamitates fluctifragae, i. e. quae tempestatum instar in Oedipum irruunt. cf. κυματώγη, Herod. 4, 196. 9, 100.

χθονοστιβής, terram calcans, Sophocles pro simplici χθόνιος dixit O. R. 301 (οὐράνιά τε καὶ χθονοστιβῆ). cf. Aesch. Pers. 126: πεδοστιβὴς[55]) λεώς, et Hom. Il. XVII, 447: πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει.

βουθερεῖ λειμῶνι, Tr. 188, editores una voce pro prato accipiunt, quod boves depascantur, scholiastam secuti qui explicat: ὑπὸ βοῶν θεριζομένῳ τοῖς ὀδοῦσι, τουτέστι τρέφοντι. Cui interpretationi qui subscripserint, dicant velim, quonam iure θερ— radici, cui nulla inest demetendi vis, hanc ipsam notionem tribuant, quae non deprehenditur nisi in θερίζειν verbo, a θερ— quidem propagato, sed significatus discrepantia longe iam inde remoto? At descendendum sine dubio est ad verbum θέρειν, cuius forma passiva saepius apud Homerum legitur, ut pascua intellegantur, quae boves tanquam calefaciant, h. e. in quibus armenta apricentur. Monuit hoc Guil. Holtze[56]), qui ad probandam suam sententiam duo vocabula afferre potuit: Aeschyleum Νειλο(είλο)-θερής (Suppl. 65) et Hesychii glossam: δυσθερής· δύσθαλπτος.

[53]) Copulari enim hoc πανσύρτει volo cum δεινῶν στυγνῶν τ' ἀχέων, cetera loci verba auctore G. Wolffio sic instituenda ratus:

(πανσύρτει) παμπόλλων δεινῶν
στυγνῶν τ' ἀχέων αἰῶνι. cf. v. πάμμηνος c. IV. § 1.

[54]) Clemmio (De comp. Gr. p. 75) si fides habenda esset, a βῶτις, h. e. βόσις, posterius membrum compositi repetenti, possessivum esset παμβῶτις: omne nutrimentum praebens. At mihi hoc — βῶτις non magis ad substantivum revocandum videtur, quam οὐρεσιβώτης, οἰοβώτης, συβώτης, al., quae a βόσκειν verbi radice derivata esse nemo infitiabitur.

[55]) cf. Aeschylea: πλανοστιβής, μονοστιβής, ἡλιοστιβής (Todt. p. 26. 35. 41).

σιδηροβρῶτι θηγάνῃ, cote ferrum adedente, Ai. 820. cf. σιδηροβόρος, Opp. Cyn. 2, 174.

ὠμοβρώς, crudivorus, nisi ὠμοβρῶτ' (ἐδαίσατο τὸν παῖδα) cum Ellendtio legendum est sensu passivo: qui crudus comeditur, fr. 153 (726); Eur. Tro. 436, Herc. Fur. 887. — cf. ὠμοβόρος[57]), ap. inferiores, ὠμοφάγος, Hom.

παντογήρως (ὕπνος), Ant. 606, non a Sophoclis manu profectum esse, nemini interpretum nostrorum contigit ut convinceret, quorum benigno ex cornu opulenta emendationum copia in locum istum manavit. Nam cum causative adhiberi verbum γηρᾶν posse Erfurdtius (ad h. l.) ostenderit, nihil iam obstat, quin interpretatio recipiatur ab illo aliisque data: somnus qui ad senium adducit omnia, h. e. qui languorem omnibus affert s. omnia consopit. Nec mediocri tutelae huic παντογήρως est subsequens ἀγήρως, qua voce quae fit sententiarum oppositio opportunissima, eam non Sophoclis eleganti ingenio deberi, sed fortuito librariorum errori, mihi quidem persuadebit nemo. Ceterum quod unum idemque vocabulum contrarii sensus cum vocibus bis deinceps Sophocles composuit, cf. eiusdem fabulae v. 358: παντόπορος, ἄπορος, et 369. 370: ὑψίπολις, ἄπολις.

βαρίβας, fr. 453 (471), qui βᾶριν (ratem) ascendit, nauta, quocum νυμφόβας et μονόβας Lobeckius contulit (ad Phryn. 609).

[56]) «Adversaria semasiologiae apud poetas Graecos usque ad Eurip.» (Naumb. 1866).

[57]) cf. Lobeck. Paralipp. p. 259.

βουστάδας αὐλάς, stabula, quae boves excipiunt, bovilia, fr. 417 (300); cf. βούστασις, Aesch. Prom. 654; βούσταθμον, Eur. Iph. Aul. 78, Hel. 29; βουστασία, Luc. Al. 1, sim.

βοῦκλεψ, qui boves furatus est, boum raptor, fr. 857 (927). — cf. βοοκλόπος Orph. Arg. 1055; Nonn. Dion. 1, 337.

σκηπτ(ρ)οβάμων αἰετός, aquila (Iovis) sceptrum ascendens[58]), fr. 766 (799).

δ. Nomina quaedam primae, secundae, tertiae declinationi obnoxia coniunctim enarrantur.

Separatum locum postulare videtur genus quoddam compositorum, quod obiectivae naturae esse primus G. Meyerus perspexit Curt. Stud. VI, p. 257 sqq. Pernotus enim est obiecti interioris quod vocatur usus ille, ex quo poetis πῦρ δεδορκέναι permissum erat dicere pro δέργμα πυρόεν δεδορκέναι, ἄλγος βοᾶν pro ἀλγεινὸν βόημα βοᾶν, ὀξὺ vel ὀξέα κλάζειν pro ὀξεῖαν κλαγγὴν κλάζειν, μακρὰ βαίνειν pro μακρὰ βήματα βαίνειν, alia, de quibus cf. Wund. Cens. Aiac. Lobeck. p. 80 sqq. Hac igitur loquendi consuetudine nisos Meyerus docuit poetas finxisse epitheta βαθύρροος, ὀξυδερκής, λιγύθροος, sim., quae determinativae classi addicta adhuc essent, itemque χειμάρροος, χρυσορρόης, alia, quae ad dativum referri solerent.

βαρυβρεμέτα (Διός), Ant. 1117, βαρὺ βρέμοντος, graviter tonantis; cf. Homerica βαρύβρομος, ἐριβρεμέτης, ὑψιβρεμέτης.

χαλκοβόας Ἄρη, O. C. 1046, χαλκὸν βοῶν, aeneum clamorem edens, «aerisonus» (Ell.); cf. χαλκεόφωνος Hom.

***κοκκυβόας**[59]) ὄρνις, (gallus) βοῶν τὸ κόκκυ, κοκκύζων, fr. 900 (718).

ὀξύφωνος ἀηδών, ὀξὺ φωνοῦσα, arguta voce canens, Tr. 963; Aristot. H. A. 4, 11. 7, 11; Babr. Fab. 12, 3; 18. — cf. ὀξυφωνία, Aristot., Hippocr., Aret., et ὀξυφωνεῖν, Eust.

κακόθρους (λόγος), κακὰ θροῶν, maledicus, Ai. 138; Constant. Manass. Chron. p. 122. — cf. δύσθροος, ap. Pind. et Aesch.

χρυσαυγὴς κρόκος, χρυσὸν, i. e. χρυσῆν αὐγὴν αὐγῶν, aureo fulgore praeditus, O. C. 685. — Frequentavere hanc vocem praeter

[58]) Mirum quam accepta tragicis fuerunt epitheta cum — βάμων composita; cf. Aeschylea ἱππο-, πεδο-, λεοντοβάμων et Euripidea: τριτο-, τετρα-, τεθριπποβάμων. Animadvertit hoc iam antehac Io. Schmidt. l. c. p. 18.

[59]) Sic Bothius; libri κοκκοβόας.

Aristophanem (Avv. 1710) inferiorum scriptorum permulti, quorum apud nonnullos etiam derivata χρυσαυγέω, χρυσαυγίζω, χρυσαύγεια inveniuntur. Similium epithetorum ex magna copia unum attulisse satis esto: κρόκεα πέταλα χρυσανταυγῆ, Eur. Ion. 890.

βαρυάχής, O. C. 1561, βαρὺ ἀχέων, graviter luctuosus, etiam possessivam admittit interpretationem: βαρὺ ἄχος παρέχων. Alius verbi (ἠχεῖν) stirpem illud vocabulum continet, quod eundem sonum referens Aristophanes bis posuit, Avv. 1733 et Nubb. 279. Idem autem Aristophaneum βαρυαχής cum etiam Sophocli tribuere temptassent Elmsleius et Reisigius, bene eos refellit G. Hermannus testem citans vocem δυσαχής, quam libri quidam praebent in Aesch. Eum. 145.

βαρυάλγητος, Ai. 199, βαρὺ ἀλγῶν, sensu causativo: gravem dolorem afferens. — cf. βαρυαλγής, Orph. H. 68, 7; C. Inscr. Boeckh. vol. V, p. 477, n. 37.

§ 4.

b. Membrum pendens dativi praebet intellectum.

α. In membro verbali inest vis passiva (vel intransitiva).

In hunc chorum non solum ea composita coguntur, quorum membrum nominale pro simplici dativo (instrumenti, temporis, loci) accipiendum est, sed illa etiam, ubi origo vel auctor designatur ac praepositiones potius (ὑπό, πρός, ἐκ) genetivis adiunctae subaudiuntur.

ὀρεσσιβάτης[60]), qui per montes incedit, montium cultor, Ant. 350; O. R. 1100.

χιονοκτύπου[61]) πετραίας δειράδος, nivibus verberatae, Ai. 695.

[60]) Grimmio, Pottio, al. si confidendum est, vera et incorrupta dativi (vel locativi) forma inest in compositis, quae ab ὀρει-, ὀρεσι-, ἐγχει-, ἐγχεσι-, ἐντεσι-, δορι-, θερει- sim. initium capiunt. Quod autem Sophocles hic σ litteram geminavit et infra ο produxit in ου (οὐρεσιβώτας, p. 45) id ad imitationem Homeri recte referunt interpretes. Ceterum cf. ὀρειβάτης, Soph., Eur., al., οὐριβάτης. Eur., ὀριβάτης, Aristoph.

[61]) Hoc unicum apud Sophoclem est exemplum κτυπεῖν verbi cum alia voce conglutinati, in quo multo magis Aeschylus sibi placuit; is enim haec procreavit: χειμωνόκτυπος, ὀμβρόκτυπος, ἡλιόκτυπος, ἁρματόκτυπος, ὁπλόκτυπος (v. Todt. l. c. p. 40). Adde δορίκτυπος, ap. Pind, et ἁλίκτυπος ap. Anacr.

χρυσόκολλα ἐκπώματα, vasa auro praetexta, fr. 68 (347); Eur. fr. Nauck. 590; cf. χρυσοκόλλητος Eur. Rh. 305; Phoen. 2.

κωδωνοκρότῳ (σάκει), fr. 738 (774), clipeo tintinnabulis crepitante[62]).

αὐτόποιον (φύτευμ' ἀχείρωτον), O. C. 698, oleae a se factae s. satae, i. e. natura ortae. — cf. αὐτοποίητος (Sophron. ap. Polluc. 10, 107; Athenagor., al.) et αὐτόκτιτα ἄντρα, Aesch. Prom. 303.

χειροβοσκός, fr. 977 (1006), «ὁ διὰ χειρὸς ζῶν» (Poll.), qui manibus victum quaerit. — cf. ἀποχειροβίωτος (Herod., Xen.), χειροβίωτος (Theodoret., Herodian.), χειρόβιος (Suid.), sim.

χρυσοστρόφων ἀγκυλᾶν, nervi auro contorti, aurati, O. R. 204.

κτύπος διόβολος, fragor (tonitrus) a Iove iactus s. missus, O. C. 1464; Eur. Alc. 128: διόβολον πλᾶκτρον πυρὸς κεραυνίου.

παρδαλήφορον δέρος, quod a panthera gestatur, παρδάλειον[63]), pantherinum, fr. 16 (10).

αὐτοδαῆ (ὀρχήματα) «αὐτομαθῆ, ἃ ἐκ φύσεως ἔχεις, οὐ διδακτά» (schol.), Ai. 699; Diagor. ap. Didym. De Trinit. 3, 2, p. 320 (ἀρετά). cf. Homericum αὐτοδίδακτος.

αὐτοσφαγής, a se ipso iugulatus, Ai. 841[64]); Eur. Phoen. 1321.

δρυοπαγῆ στόλον, clavum ex ligno querno compactum[65]); quernum, fr. 629 (634). — cf. δορυπαγεῖς νῆας, Aesch. Suppl. 713.

αἱμοβαφῆ (σφάγια), cruore tincta, Ai. 219; Nonn. Dion. 2, 52. 12, 318. 29, 26.

---

62) Falsa ista explicatio videtur Ellendtio dativum κωδωνοκρότῳ a nominativo κωδωνοκρότος, tintinnabula quatiens, repetenti. Ego ut praestare putem sensum intransitivum, maxime hoc loco adducor Euripideo:

Rhes. 384 sq.: κλύε καὶ κόμπους κωδωνοκρότους
παρὰ πορπάκων κελαδοῦντας.

63) De secundo membro compositi haud inaniter abundante cf. Io. Schmidt. p. 33 sqq.

64) Totus locus gravi suspicione interpolationis premitur, quam haud mediocriter auget ipsum illud αὐτοσφαγής. Bis enim in eodem versu hoc vocabulum positum est, nec tamen ita, ut, qua ratione explananda sit forma posterior, facile perspici possit. Ac fuerunt qui αὐτοσφαγεῖς vocari non solum eos docerent, qui sua, sed etiam qui suorum manu occiderentur. Quibus suo iure oblocuti sunt Matthiaei (lex. Eur. s. v.v. αὐτοσφαγής et αὐτοσίδηρος) et Wunderus (in Cens. Aiac. Lob.). Attamen ne ab his quidem profligata putanda est haec quaestio, quae vereor ne non prius ad finem perduci queat, quam peculiari opera tractatus sit universus orbis vocabulorum ab αὐτός incipientium.

65) Ellendtius active: «querna ligna coniungens.»

νευροσπαδὴς ἄτρακτος, sagitta nervo retracta, Ph. 290; Const. Manass. Amat. 7, 12. — cf. νευρόσπαστος, Herod. 2, 48.

λινογενεῖς[66]) ἐπενδύτας, ex lino confectos, fr. 391 (403). — cf. λινορραφὴς δόμος, Aesch. Suppl. 116.

θνητογενεῖς mortalibus geniti, Ant. 835; Eur. Herc. Fur. 799.

θεογεννής, deo generata, Ant. 834. — cf. nomina propria Θεογένης et Θεαγένης.

μουσομανής, a Musis afflatus, fr. 232b (225); Anth. Pal. 10, 6, 4. — cf. μουσομανία, Plut., μουσομανέω, Athen., Poll., al.

καρπομανής, fr. 590—591 (586), frugum ubertate quasi insaniens, i. e. immodice luxurians[67]).

De ἱππομανῆ λειμῶνα, Ai. 143, interpretes hunc in modum inter se dissident, ut longe plurimi ad καρπομανής, ὑλομανεῖν, φυλλομανεῖν, θαλλομανεῖν, sim. provocantes equis luxuriantem λειμῶνα intellegi velint, Lobeckius et Wunderus pratum dici arbitrentur «equis pervulgatum sive quod equi persultent ac perfurant». Quarum interpretationum posteriorem — nam priorem satis reiecisse Lobeckius mihi videtur — libenter amplecterer, unum si Lobeckius afferre potuisset locum, quo probaret dici posse μαίνεσθαι τὸν λειμῶνα pro μαινόμενον διελαύνειν τὸν λ. Quod cum viro celeberrimo parum successerit, G. Wolffio accedam, qui mediam quandam viam ingressus ipsum pratum vehementissimo motu cieri (μαίνεσθαι) ait videri ei, qui equos spectet furiosis saltibus illud percurrentes[68]). — Longe aliis significationibus apud inferiores scriptores idem vocabulum cum derivatis ἱππομανέω et ἱππομανία usurpatur.

σιδηροκμῆσιν (βοτοῖς), ferro interfectis, Ai. 325. — cf. δορικμὴς λαός, Aesch. Ch. 360.

κυματοπλὴξ (ἀκτά), fluctibus pulsata, O. C. 1241; Arch. Anth. Pal. 10, 17; Hippocr. p. 357, 49; Archestr. ap. Athen. 7, p. 300, E.

---

66) Sic codex Bekkeri; vulgo νεοπλυνεῖς, quocum cf. Hom. Od. VI, 64: νεόπλυτα εἵματ' ἔχοντες.

67) Exemplis a Lobeckio ad vocem ἱππομανής (Ai. 143) allatis adiciantur haec: γυναιμανής (Hom.), θεομανής (Aesch.), φρενομανής (Aesch.), ἀκρομανής (Herodot.), θυρσομανής (Eur.), δοριμανής (Eur.), ἡλιομανής (Aristoph.), ἡδυμανής (Nonn.).

68) Praestat fortasse ipsius Wolffii verba lectoribus tradere, quae sunt haec: «Die Au scheint in rasender Bewegung zu sein; die Rosse bilden gleichsam ihre Theile, Punkte auf ihr.»

ἀκανθοπλήξ ('Οδυσσεύς), suspectum fabulae cuiusdam perditae nomen, sumptum ab Ulixe spina piscis cuiusdam marini sauciato[69]). (Dind. p. 91, Nauck. p. 182.)

Formata in τος.

δορίληπτος, hasta s. bello captus, Ai. 146. 894; Eur. Hec. 478; Maneth. 4, 258; — Menand. Leg. p. 310, 18 (δορύλ.); Hesych. s. v. δορύληπτον. — cf. δορίκτητος, Hom., δοριάλωτος, Herod., Soph., Eur., Xen., al.

χειρόδεικτα, (oracula) manu monstrata, manifesta, O. R. 901. — cf. δακτυλόδεικτος, Aesch. fr. Herm. 58 (ubi Pauwius: δακτυλόδικτος).

χειροδάϊκτα[70]) σφάγια, manu trucidata, Ai. 219.

χερόπληκτοι δοῦποι, manibus percussi, i. e. manuum percussu effecti[71]), Ai. 632.

χαλκόπληκτος γένος, El. 485, alteri scholiastae est «ἡ ἀπὸ χαλκοῦ ἠλασμένη», h. e. χαλκήλατος, alteri «ἡ (χαλκῷ) ἑλοῦσα αὐτόν», quarum sententiarum utra potior sit, difficile est decernere. Namque cum praecedens communi cum consuetudine poetarum, qui similibus epithetis arma ornant creberrime, magis conspiret: subsequenti melius sustentatur spirantis personae imago, quam eo consilio securi imposuisse poeta potest, ut ὁ σφαγεὶς et ὁ σφαγεύς fortius inter se opponerentur. Praestat igitur altera interpretatio simplicitate et solemni usu, audacia et exquisita insolentia altera[72]).

---

69) Adiectiva in — πληξ desinentia sat multa Lobeckius congregavit Paralipp. p. 279 sqq. Sophocles autem utrum ipse «'Οδυσσεὺς ἀκανθοπλήξ» fabulam inscripserit an grammaticis debeatur hic titulus, parum constat, nec id quidem certum, num ex ipsius tragoediae verbis ipsis adiectivum illud haustum sit.

70) cf. Aeschylea: λουτροδάϊκτος (Todt. p. 40), αὐτοδάϊκτος (p. 43), ἀνδροδάϊκτος (p. 37), πυργοδάϊκτος (p. 37).

71) cf. nostrum «Lärm schlagen.»

72) Utramque expositionem nuper Kvicala impugnavit (Sitzungsber. d. Wien. Acad. XLV, p. 422 sqq.), cui assensus est Arnoldus Juris p. 18. 19. Priori enim officere aiunt similium compositorum analogiam, cum Sophocleorum χερόπληκτος, παράπληκτος, ἔμπληκτος, ἀπόπληκτος, al., tum maxime Aeschylei σιδηρόπληκτος (Sept. 886. 887), ex quibus nullum non habeat feriendi significatum. Quo argumento nihil aliud efficitur nisi id, novo sensu verbum πλήσσειν Sophoclem adhibuisse, non simul illud, quod demon-

κυνοσπάρακτον σῶμα, canibus laceratum, Ant. 1198; cf. κυνοσπάς, Nonn. Dion. 46, 341.

ἁλίπλαγκτος (Πάν), per mare vagans, «pontivagus» (Ell.), Ai. 695; Apoll. Rh. 2, 11; Leon. Anth. Pal. 7, 4, 4; Oppian., al. — cf. θαλασσόπλαγκτος, Aesch. Prom. 468.

ἁλίκλυστον (πόντου πρόβλημα), promunturium quod mari subluitur, Ai. 1219; Oppian. Hal. 1, 155; Orph. Arg. 204, al. cf. ἀμφίκλυστος p. 25.

δημόλευστον (φόνον), a populo lapidatum, h. e. mortem publica lapidatione illatam, Ant. 36; Lycophr. 331. — cf. Aesch. Sept. 180: λευστῆρα δήμου μόρον, et Agam. 1585: δημορριφεῖς λευσίμους ἀράς. Idem supplicium eadem brevitate Sophocles λιθόλευστον Ἄρη appellavit Ai. 254 (Callim. Epigr. 43, 5; Alex. Aetol. ap. Parthen. Erot. c. 14, v. 12; Diodor. 3, 47; Pseudo-Plut. Parall. p. 313 B.), ubi ad insolentem commissuram duorum eiusdem stirpis vocabulorum digitum intendit Lobeckius[73]). cf. verbum λιθολευστεῖν, Rhet. Gr. T. I, 466, Gramm. Herm. p. 400.

*μαλλοδέτους[74]) κύστεις, lana s. laneo filo vinctas, fr. 462c (361).

αἰχμόδετος, i. q. αἰχμάλωτος, fr. 41 (43).

---

strandum fuit, vim poetam intulisse sermoni Graeco, cum pulsandi notionem in cudendi sensum declinaret. Posteriorem vero explanationem his de causis Kvicala improbat. Negat fieri posse, ut activam potestatem adsumant adiectiva verbalia in τος terminata, quae non a verbis descenderint aut vere intransitivis aut certe intransitiva vi usurpatis; et, si fieri illud posset, tamen ne ita quidem probam sententiam dicit evasuram esse ex χαλκόπληκτος: «man würde», inquit ille, «nur zu der Bedeutung Erz schlagend, nimmermehr aber zu der Bedeutung mit Erz schlagend gelangen.» Sed huic iudicio quantum tribuendum sit, cum alia tum haec vocabula ostendunt: κεντροδήλητος ὀδύνη, Aesch. Suppl. 547, χεὶρ δορίπαλτος, Ag. 113, καρδιόδηκτον κράτος, Ag. 1439, quae active intellegenda sunt omnia, idque ita, ut κεντροδήλητος dativum, δορίπαλτος et καρδιόδηκτος accusativos in membris prioribus habeant. cf. significationes vocabulorum ἀμφίπληκτος p. 25, ξιφοκτόνος ((§ 4)), ἀθηρόβρωτος, p. 35.

73) Ibidem Lobeckius de adiectivis quibusdam verbalibus proprie caesos significantibus, sed mortis nomini applicatis disputationem instituit compluribusque exemplis rem illustravit; quibus addantur haec (quae active Todtius interpretatus est p. 39) ξιφοδήλητος θάνατος et δορυκανεῖ μόρῳ.

74) Codd.: μαλλοδέτας; emendavit Valckenarius, in quem inique Ellendtius invehitur «tutum vocabulum praestari» dicens «comparato ἱπποδέτης.» At hoc quidem exemplo quid proficiatur, parum ego dispicio.

*λυκοκόλλητον στόμιον, frenum λύκοις κεκολλημένον, lupatum, perita, etsi non satis tuta correctione Welckerus restituebat Tr. 1261. Libri λιθοκόλλητον, in quo expediendo verendum est ne inaniter interpretes laboraverint.

?λακπάτητον χαράν, Ant. 1275, gaudium calce protritum, i. e. sublatum, ex Homericis λὰξ ἐμβῆναι et λὰξ κινῆσαι manasse recte Eustathius observavit. Λαξπάτητον qui legunt, determinativi generis compositum sortiuntur; incerti vero pretii mercem emunt, qui tertiam scripturam: λεωπάτητον adoptant; cuius vocabuli quae sit origo et significatio, minime liquet[75]).

*αὐτογέννητος[76]), a se ipso genitus; Ant. 864: κοιμήματα αὐτογέννητ' ἐμῷ πατρὶ δυσμόρου ματρός, quae audaci epitheti traiectione dicta sunt pro: κοιμήματα αὐτογεννήτῳ ἐμῷ πατρὶ δυσμόρου ματρός, concubitus miserae matris cum patre meo, quem ipsa pepererat; cf. quae ad v. κοινότοκος adnotata sunt p. 11.

αὐτόγνωτος ὀργά, arrogantia ab ipsa (Antigona) adscita, h. e. ultro suscepta, αὐθαίρετος, nisi activa praeferenda est interpretatio illa, quam in maiore editione Erfurdtius dedit: «αὐτόγνωτος est qui ex sua tantum animi sententia (γνώμῃ) unumquidque agit». cf. αὐτογνώμων, Aristot. Polit. 2, 6, 16; 7, 6. Dion. Hal., Plut.

β. In membro verbali inest vis activa.

Dativus, qui passivis (aut intransitivis) verbis libentissime adhaerescit, a transitivis verbis active accipiendis fere abhorret, haud dubie eam ob causam, quod accusativum huiusmodi verbis praefigere poetae longinquo usu adeo consueverant, ut alium casum ponere illic vix iam auderent. Analogiae enim habenda

[75]) Hermanni sententiae a λεῖος hoc λεω — deductum putantis ea obstant, quae de λεωργός G. Curtius docet Grundz. ed. IV, p. 363. — Sophoclisne inventioni acceptum referendum sit λακπάτητος, dubitatio nobis affertur hisce locis:

Phot.: λακπατεῖν, Φερεκράτης Πετάλῃ· «παίειν με, τύπτειν, λακπατεῖν, ὠθεῖν, δάκνειν.»

Hesych.: λακπατῆσαι· λακτίσαι, καταπατῆσαι, ἀνατρέψαι.

[76]) Libri αὐτογένητος (αὐτογένητ'), quod codd. repraesentant in Aesch. Suppl. v. 9, ubi nunc ex egregia Bambergeri coniectura αὐτογενεῖ legitur. Αὐτογέννητος exstat ap. Clement. (Hom. 16, 16) et Justinum (Cohort. ad Graec.).

iis erat ratio, qua neglecta periculum erat ne in errorem abducerentur auditores, pro accusativo membrum compositorum prius ut haberent adhuc docti. Sic θηλυκτόνος adiectivum, si incognita foret Danaidum fabula, neminem futurum esse opinor, quin mulieres necantem (Martem) intellegeret, poetae praeter voluntatem, qui muliebri manu s. per mulieres caedem perpetrantem significabat (Aesch. Prom. 864). Et cum apud Homerum quidem talia frustra quaerantur, saepius vero deprehendantur apud Aeschylum[77]) nullam dictionis insolentiam unquam trementem: Sophocles ter tantum hac licentia usus est, idque tam caute, ut sensum vocabulorum nulla interposita mora quivis perspiceret oporteret. Sic nemo non protinus sciet, χέρας ξιφοκτόνους, Ai. 10, manus esse gladio caedentes[78]) et Ph. 214 ἀγροβόταν propterea dici τὸν ποιμένα, quia gregem (ἐν) ἀγρῷ βόσκει[79]). Quod idem cadit in alterum epitheton a βόσκειν formatum, χῶρος οὐρεσιβώτας, Ph. 1148, quo locus significatur montibus (feras) pascens, h. e. «montana feris pascua exhibens s. silvestris et horridus» (Ell.) — cf. ὀρεσσιβάτης, p. 39.

§ 5.

c. Membrum nominale genetivi notionem exhibet.

ἀγωνάρχαι, i. q. ἀγωνοθέται, certaminis arbitri, Ai. 572.

τεκτόναρχος vocem, fr. 170 (163), adstipulor Ellendtio perperam intellectam censenti a Polluce, violentiae Sophoclem incusante, quod τεκτόναρχος Μοῦσα pro ἀρχιτέκτων dixisset. Est enim veri id potius simile, pristinum ἀρχιτέκτων nominis intellectum (ἀρχὸς τεκτόνων) revocare voluisse Sophoclem, ut artis aedificandi praestes dea appellaretur. Quam significationem iam dudum e civium suorum animis excidisse cum poeta animadvertisset, nova forma opus esse videbat, cuius nondum debilitata esset diuturno usu vis et potestas.

πάναρχος (θρόνος), omnibus imperans, regius, O. C. 1293. A quo paululum differt

[77]) cf. Todt. l. c. p. 38. 39.

[78]) Affertur in Steph. Thesaur. etiam ξιφόκτονος, gladio caesus, auctoris tamen citatione omissa. — cf. Suid: ξιφοκτονεῖ· ξίφεσιν ἀναιρεῖ.

[79]) Utrumque vocabulum Euripides repetivit, Hel. 354, Cycl. 54. — Posterius quid habeat insoliti, similia ostendunt composita, ut συβώτης, μηλοβότης, βουβότης, αἰγιβότης, ἱπποβότης.

πάνταρχος[80]) (πάνταρχε θεῶν) libri plerique numeris vitiatis exhibent O. C. 1085. Poeta quid scripserit, difficile est divinatu; quamquam blandissima est emendatio Hermanni, qui πάνταρχε illud comparans cum παντάρχα, aliorum quorundam codicum scriptura, utrique lectioni satisfaciebat scribendo *πανταρχέτα. Brunckius παντάρχα retinuit, quod Aristoph. Avv. 1058 legitur et Aeschylo (Suppl. 121) ex coniectura vindicatum est ab Hermanno (πατὴρ παντάρχας παντόπτας).

βιοστερής, O. C. 747, victu privatus; cui addo, quod activum significatum habet,

ἡλιοστερὴς κυνῆ, O. C. 313, solem arcens (ἡλίου στερίσκουσα). Offenderunt in voce Coraes et Nauckius, quorum alter ἡλιοστεγής, alter Homericum ἀνεμοσκεπής respiciens ἡλιοσκεπής excogitavit.

De ὠμοκρατής, Ai. 205, duplex est et inter scholiastas et inter recentiores editores dubitatio, primum, utrum ab ὦμος an ab ὠμὸς ducenda sit vocabuli pars prior, tum ad κράτος referri debeat —κρατής an ad κρατεῖν. Hinc factum, ut quattuor temptarentur interpretandi rationes:

1. ὤμων s. ἐν τοῖς ὤμοις κράτος ἔχων,
2. ὤμους καρτερός (κρατῶν).

Istae explicationes duae in unam sententiam confluunt, cum utraque de validis Aiacis umeris agatur.

3. ὠμὸν κράτος ἔχων, «viride et cruentum robur habens» (Seyff.),
4. ὁ καὶ τῶν ὠμῶν κρατεῖν δυνάμενος, «asperrima superans» (G. Wolff).

Haec ultima omnium maxime mihi arridet, ut qua iucundissima verborum κρατεῖν et κεῖσθαι efficiatur oppositio: vir, qui summos adversarios devicit, nunc turpi morbo prostratus iacet. Accedit, quod non latet dux, cuius vestigia legisse Sophoclem opiner: epigramma dico quartum decimum illorum, quae Homeri nomen prae se ferunt, «Ὁ κάμινος ἢ κεραμίς» inscriptum, ubi daemones figulorum invocantur cum alii tum «Ὠμόδαμος, ὃς (τῇδε τέχνῃ) κακὰ πολλὰ πορίζει». Alia quaedam argumenta eidem explicationi faventia ab editoribus et a Passowio (lex. Gr. s. v.) allata sunt.

In fine totius huiusce partis colloco, quod peculiarem sibi deposcit explanationem: καρατόμοις χλιδαῖς, i. e. ἀπὸ κρατὸς τετμημέναις, deliciis (cincinnis) de capite resectis, El. 52; Eur. Alc. 1118, Rhes. 606, Tro. 564; Lycophr. 187. — cf. καρατομέω, Eur. Rhes. 586, καρατόμησις et καρατομία, ap. inf.

[80]) cf. Lobeck. Phryn. p. 673/4.

B. Membrum regens praecedit.

Hanc legem quae sequuntur vocabula, saepissime ita comparata sunt, ut substantivum aut adiectivum substantivi vices gerens pendeat ex stirpe verbi; rarius in posteriore etiam membro stirps verbalis conspicitur (cf. § 8). Alterum huius ordinis genus est, ubi nomen partem subsequentem regit; quod si usu venit, suspensum membrum et ipsum nomen esse utique oportet. Ac bina quidem substantiva et omnino raro copulantur[81]) et apud Sophoclem plane desunt; adiectiva vero substantivis sat crebro praefiguntur, inque primis ἴσος, ἄξιος, κενός, ἄπειρος, ἔρημος (cf. G. Meyer. Curt. Stud. V, p. 14 sqq.)[82]).

§ 6.

1. Membrum regens est adiectivum.

ἐχθροδαίμων, diis invisus, O. R. 816.

ἡδύπολις, civitati acceptus[83]), O. R. 510.

ἰσόσπριος, fabae similis, fr. 334 (335).

ἰσοθάνατος, fr. 329 (331), num merito displicuerit Polluci, cui «οὐ πάνυ ἀνεκτόν» hoc vocabulum visum est, nullam habemus iudicandi facultatem, cum, quo sensu Sophocles vocem usurpasset, grammaticus ille memoriae non prodidit. Quare si quis aliam sedem huic verbo assignari iusserit, equidem non repugnabo.

[81]) cf. L. Schroeder. l. c. p. 215, ubi cum alia tum haec afferuntur: θέοινος «Weingott» (Aesch.), ἱπποπόταμος (Strab., Galen.), κυνοπόταμος «Flusshund» (Achm. Onir.), ὁ πατρομήτωρ «Muttervater» (Luc.), et Lobeck. Paralipp. p. 377.

[82]) cf. Clemm. De comp. Graec. p. 155: «in verbali compositione rarius posteriorem quam priorem locum obtinet verbum nec dubitandum est, quin his potissimum verbalibus compositis haec tota membrorum inversio debeatur.»

[83]) Spero non multos fore qui Clemmio (Curt. Stud. VII, p. 92) assentiant; qui composita ab adiectivis incipientia ex obiectivorum classe eicienda esse ratus in hanc interpretationem inductus est: «Oedipus bewährte sich als einer, dem die Stadt lieb ist. Wenn sich aber Oedipus als einer, der die Stadt lieb hat, dem die Stadt angenehm ist, bewährte, so war er auch der Stadt angenehm.»

§ 7.

2. Membrum regens est verbum.

a. Membrum pendens est nomen.

Transituris nobis ad ea composita, quorum pars prior verbalem stirpem continet aut speciem saltem stirpis verbalis gerit, praecludi via videtur acerrima hominum doctorum de natura illius membri dissensione. Sed cum non id nostrae provinciae sit, ut universe de vocabulorum compositorum formatione disseramus, sed illud potius, ut, quid Sophocleae artis proprium sit, indicemus, locupletioribus iudicibus relinquere licet litis illius discernendae onus, quod ne sustineant nostri umeri recusant. Ita enim omnes huiusmodi verba fingendi rationes certis regulis sunt circumscriptae, quamvis inter se sat variae sint ac multiplices, ut ex semitis inde ab omni tempore tritis hanc illam prae ceteris frequentare cuilibet licuerit quidem, novas aperire non item cuiquam fuerit permissum. Itaque quidquid aliquando de vera membri illius origine et vi ab arbitris constitutum erit, idem in Sophoclem pro parte virili cadet, praesertim cum is, ut tutissimus est verborum opifex, ne alioqui quidem in externa vocabulorum specie instituenda quicquam novaverit. Quae cum sint ita, non dubitavimus eam adhibere explicationis rationem, quae omnium maxime nobis probabatur, illam dico, quam ab Oro grammatico summatim prolatam, dein a Lobeckio (ad Phryn. p. 767 sqq.) accuratius recognitam, postremo diligentissime recensuit atque excoluit, argumentis fulsit atque correxit, ingenti exemplorum copia illustravit Clemmius (De compos. Graec.). A quo quae facta est horum compositorum divisio, eam perspicuitatis et brevitatis gratia ita nobis liceat sequi, ut totam tabulam ab illo propositam in angustum deductam lectoribus offeramus et quatenus rei conveniat, ipsius auctoris utamur verbis. Duo autem genera Clemmius distinxit: asigmatorum genus, quod stirpes contineat nullo additamento auctas, et sigmaticum, quod σ littera amplificatas.

I. Asigmata maxima ex parte

A. speciem praesentis exhibent.

a. Membra compositi nulla vocali interiecta [84]) coeunt (Clemm. p. 6, 7, 8).

[84]) De vera huius vocalis natura, de qua »adhuc sub iudice lis est,» cf. G. Meyer. Curt. Stud. V, p. 3 sqq. et Clemm. ibid. VII, p. 11 sqq.

ἀλεξ-αίθριον, (vestimentum) arcens frigus, fr. 120 (114); cf. Hom. Od. XIV, 529: χλαῖναν ἀλεξάνεμον.

τανύ-ποδας (Ἐρινῦς), pedes protendentes, h. e. μακρὰ βιβάσας, Ai. 837; cf. Hom. ταναύπους et Aeschyl. (Eum. 363) τανύδρομος.

b. Vocalis, quae in commissura cernitur, cum ad neutrum compositi membrum pertinere possit, inserta videtur. Tres autem formae eius vocalis observandae sunt: ε, ι, ο. (Cl. p. 8. 9.)

α. «in ε litteram pauca descendunt aut a verbis vetusti et necessarii usus, ut φέρω et ἔχω, aut ad antiquum exemplar formata» (Lobeck. l. c. p. 768; Cl. p. 20). ἀρχ-έ-πλουτος legitur El. 72, qui versus, etsi a dubitationibus quibusdam cum e sententiarum continuatione tum e verborum ipsorum construendorum difficultate ortis haud satis tutus est, tamen non debuit iusto confidentius tanquam totus interpolatus condemnari a Morstadtio («Beiträge zur Exegese und Kritik der Sophokl. Tragödien Elektra, Ajas und Antigone, Schaffh. 1864», p. 8 sqq.). Atque ἀρχέπλουτος quidem fortasse praesidii aliquid capit ex Aeschylea voce ἀρχαιόπλουτος (Agam. 1002), quam cum in eadem hac fabula (v. 1393) suam fecerit Sophocles, non abest suspicio, quin iam illo ea loco poetae menti sit obversata et ad excudendum illud vocabulum aliquid contulerit.

β. Vocalis compositiva ι est (Cl. p. 9. 10):

ἀλεξ-ί-μορος, arcens pestem, O. R. 164; Nonn. Io. 12, 11. Dion. 32, 217; cf. Hom. ἀλεξίκακος.

γ. Vocalis compositiva ο est (Cl. p. 10. 11):

νικ-ο-μάχας, fr. 765 (801), νικῶν μάχαις vel μάχας, cf. nom. pr. Νικόμαχος [85]).

B. Composita, quorum membra priora vel aoristi II speciem prae se ferunt (λιπ-ήμερος) vel stirpem puram exhibent nec tamen possunt ad aoristos II revocari (Cl. p. 12).

[85]) Nauckius in Observatt. critt. (p. 29. 30), quia Νικόμαχος notissimum nomen sit, Νικομάχας vero sive Νικομάχης nusquam alibi reperiatur, ipsam illam nominis proprii formam restituendam putat. — cf. adn. 86. 145. 186.

a. Vocalis ad conectenda membra inserta non est (Cl. p. 12. 13).

φίλ-αυλος, amans tibiae, Ant. 965; Eur. El. 435; Aristoph. Ran. 1352; Aristot. Eth. 10, 5, 3; Plut. Mor. p. 706, B, al.

ἐγρε-μάχας, i. q. ἐγρεμάχη (hymn. H. Cer. 424), concitans proelia, O. C. 1054; cf. ἐγερσιμάχας, Antip. Sid. Anth. Pal. 7, 424, 4. Hesych. ἐγρεμάχη· ἐγρεμάχας, ἐγερσιμάχας.

b. Coniungendorum membrorum munus suscipit vocalis interposita, cuius

α. prima forma ε est (δακ-έ-θυμος), (Cl. p. 13). Huius generis, quod omnino rarissimum est, nullum apud Sophoclem occurrit exemplum.

β. Vocalis compositiva ι est (Cl. p. 14):

λαθ-ί-πονος, intransitive Ai. 711: laboris oblitus; causative Tr. 1021: oblivionem laborum efficiens, de qua significatus amphibolia v. Clemm. l. c. p. 168. 169. — cf. λαθικηδής, ap. Hom.

γ. Vocalis compositiva ο est (ἁμαρτ-ο-επής) (Cl. p. 14). Vocabula ita conformata ap. Sophoclem desunt.

II. Composita sigmatica «arctissimo formandi vinculo cum aoristorum I stirpibus coniuncta consociataque sunt» (Clemm. p. 124). In plerisque

A. σ ipsi stirpi additum est (Cl. p. 25).

a. Membra nulla interposita vocali coniunguntur (Cl. p. 25. 26).

τρυσ-άνωρ, viros atterens, crucians, Philoctetae querela, quam chorus sine gravi dolore non potest audire, Ph. 209.

παυσ-ανίας, aerumnarum depulsor, fr. 765 (801), in parodia est apud Aristophanem, qui ridens morem Sophocleum resuscitandi nominum propriorum significationes oblivione pridem obrutas ipse Nubb. 1162 τὸν λύοντα τὰς τοῦ πατρὸς ἀνίας «Λυσανίαν πατρῴων μεγάλων κακῶν» appellavit [86]).

[86]) Ignorat hunc lusum etymologicum omnium fere poetarum communem Athenaeus (III, p. 97 sqq.) qui Aeschylum perstringit, quod τόν Ἅιδην Ἀγησίλαον (populorum coactorem) vocaverit. Huic autem consuetudini

Ceteras classes, cum ad Sophoclem earum pertineat nulla, nihil hic opus foret enarrare, nisi ne illud quidem otiosum esset notare, quibusnam formationibus poeta abstinuisset. Clemmius igitur sic pergit:

b. Vocalis in commissura occurrit, cuius rarissima

α. ε forma est (ἀκερσ-ε-κόμης, p. 26).

β. Exemplorum longe maximus numerus ι vocalem habet (ἀκερσ-ι-κόμης, p. 27—29).

γ. Non saepius quam ε invenitur ο vocalis (ὀρσ-ό-λοπος, p. 29).

B. Cum stirpe verbali σ littera per insertam ε vocalem coniungitur, quae quidem exempla pro vocali compositiva dividere opus non est, cum, si qua interponitur, semper ι sit (ἑλκ-ε-σ-ί-πεπλος, p. 29—31). Huiusmodi autem nomina maxima antiquitatis specie insignita sunt, quia in eorum numero prae ceteris sigmaticis plurima inveniuntur Homerica et Hesiodea (p. 114; p. 32).

§ 8.

b. Membrum suspensum est verbum.

Quae e binis verbis composita sunt nomina, ea Clemmius (p. 150 sqq.) ex obiectivorum classe eximenda et determinativorum ordini reddenda censet omnia. Negat enim ullo pacto intellegi posse, quomodo huius generis vocabulorum partes posteriores, ad similitudinem substantivorum vel adiectivorum accurate conformatae, infinitivi locum obtinere atque ex praecedenti membro verbali aptae esse possint. Quare delitescere priorum membrorum vim verbalem ait indicandam esse, ut tanquam adverbii loco illa posita videantur: «φιλομαθής libentur discens, φιλογαθής libenter (facile) laetans, φιλομεμφής libenter vituperans. φιλοπενθής libenter interrogans.» Quod «multo etiam confidentius» de iis compositis Clemmius dicit confirmari posse, quorum membra posteriora in της terminata a vulgaribus nominibus agentis, quae

quantopere Aeschylus indulserit, praeter exemplum ab Athenaeo allatum haec ostendunt nomina propria, quibus pro appellativis ille usus est: Ἀδείμαντος, Ἄκτωρ, Ἀλκίφρων, Ἀνάκτωρ, Ἀντήνωρ, Ἀρχέλαος, Ἀστυάναξ, Ἐπίζηλος, Εὔφιλητος, Θεομήστωρ, Λαοδάμας, Μάστειρα, Μεγασθένης, Ξενότιμος, Παλαίχθων, Παναίτιος, Πολυαίμων, Πολύμνηστος, Πολύξενος (Pind., Soph., Eur.), Πρόνομος, Φιλάνωρ, Φιλόχορος, Φράστωρ. — cf. adn. 85 et 186.

vocantur, ne tantulum quidem differrent, ut de φιλαθλητής, φιλαναγνώστης, φιλενδείκτης, φιλοπότης, φιλοθύτης, al. Nam si quis vel φιλοθύτης vel φιλοπότης vel aliud quod simile vocabulum ex analogia nominum obiective compositorum (φιλόπολις, φιλοπόλεμος, al.) explicare vellet, non hanc evasuram esse sententiam: libenter sacrificans, libenter potans, cet., sed notiones a scriptorum mentibus longe alienas: amans sacerdotem, amans potorem. Quam doctrinam ut Clemmius proponat — vel potius repetat, quandoquidem iam Pottius (Etym. Forsch. ed. I, vol. II, p. 395) leviter eam attigit — eo aperte adducitur, quod membrorum illorum posteriorum cum simplicibus quibusdam nominibus similitudini nimium tribuit. Eo enim fit, ut praecedens membrum suffixo — ut par est — carens nimis distincte opponat toti parti subsequenti, suffixo — ut oportet — ornatae, quasi merum thema ad nomen accesserit iam antehac perfectum, iam antehac omnibus numeris absolutum. Hac tamen via ac ratione nostra quidem composita nata esse negaverim; persuasum enim habeo cum in aliis compositionis generibus tum maxime in obiectivo sola themata a componentibus adhiberi, nec prius circumspicere eos, quae compositis addant suffixa, quam stirpes illas inexplicabili inter se vinculo constrinxerint firmissime. Quae igitur inter themata coniuncta intercedit ratio, ea terminationibus qualibuscumque subnectendis omnino non sollicitatur, quippe quae non ad solam posteriorem compositi partem, sed ad totum potius stirpium compactarum quasi corpus individuum referendae sint. Quod ni ita se haberet, obiectiva composita a regente quidem membro incipientia constare possent nulla, nullum quia reperies exemplum, cuius membrum posterius veram dependentiae formam (h. e. vel accusativi vel genetivi vel dativi) exhibeat (cf. φιλάνθρωπος, φιλόδοξος). Nec magis sciretur, parasyntheta quomodo essent intellegenda, ut φιλανθρωπία, φιλανθρωπέω, φιλανθρώπως, φιλοδοξία, φιλοδοξέω, al., quae, cum partes ipsorum secundae per se spectatae prorsus nihili sint, luculentissime id indicant, non fas esse divellere themata, quasi ad φιλ(ο) — accesserint — ανθρωπία, — ανθρωπέω, — ανθρωπος, — δοξία, — δοξέω. Quod autem in his exemplis accidisse animadvertimus, ut ambabus stirpibus in unum conflatis, prout aut substantiva aut verba aut adverbia effingenda fuissent, communiter adderentur suffixa — ία, — έω, — ως, id cur non item in nostra illa cadere debeat composita, nullam profiteor me

videre causam. Non magis igitur quam in δακέθυμος, ut hoc exemplo utar, propter similitudinem θυμός substantivi suffixum — ος uni posteriori parti tribuenda est — quia inverso membrorum ordine item δακ — terminationis indiget — (ut dicitur θυμοδακής) — non magis, inquam, compositis a Clemmio allatis re vera ἀθλητής, ἀναγνώστης, ἐνδείκτης, πότης, θυτής, vel γαθής, μαθής, μεμφής, πευθής ut perfecta nomina putanda sunt inesse, quamvis priora alias sui iuris sint substantiva, posteriora ad similitudinem eiusmodi adiectivorum proxime accedant. Accurate enim distinguenda sunt — in qua quidem re summam totius disquisitionis nostrae sitam video — ea composita, quae verbi stirpem membro posteriore continent, ab iis, quae substantivi alicuius thema ibidem exhibent, hoc thema licet a verbali radice derivatum sit. Nam manifestum est posterius hoc genus cum vulgaribus classis obiectivae exemplis ad amussim congruere; ut nihil causae est, cur φιλο-ποιητής (φιλο-στρατιώτης, φιλο-πολίτης, φιλ-οδίτης) non ex analogia vocabulorum φιλό-πολις, φιλο-πόλεμος, sim. accipiantur pro: φιλῶν ποιητάς (στρατιώτας, πολίτας, ὁδίτας). Ab horum vero formatione longe distant — id quod fugïsse videtur Clemmium — quae supra memorata sunt exempla: φιλαθλητής, φιλαναγνώστης, φιλενδείκτης, φιλοπότης, φιλοθύτης aliorumque sat conspicuus numerus, quae hic enumerare nihil attinet. Collocaverant illic scriptores cum verbi φιλεῖν stirpe substantiva (vel themata potius substantivorum) in της (τη) terminata (ποιητής, στρατιώτης, πολίτης, ὁδίτης); quae cum ex communi omnium usu hausta esse appareat, praeter hanc ipsam stirpium conglutinationem nihil prorsus deberi planum est compositorum inventoribus. Contra in hac altera exemplorum serie compegerunt scriptores — si quid video — primum binorum verborum nudas radices (φιλ(ο)- cum θυ-, ἐνδεικ-, πο-, cet.) alteramque ex altera pendere iusserunt ita, ut vagae tantum atque indefinitae evaderent notiones: amandi sacrificationem, ostentationem, luctam, potionem. Deinde, cum nomina agentis formanda essent, radicibus modo colligatis eandem affigere constituerunt της terminationem, qua alioquin ex simplicibus verbis substantiva fieri cernebant simplicia [87]). Qua re

[87]) Haud inutile videtur monere a veteribus grammaticis eiusmodi composita explicari solere per φιλεῖν verbi participium; ut Platonis φιλοχρηματισταί scholiastae sunt «φιλοῦντες πορίζειν χρήματα» (χρηματίζειν).

accidit, ut similitudinis speciem nanciscerentur formae, quas diversis viis ortas esse facili opera cognoscatur[88]). Nam externam quidem si spectaveris formam, φιλοποιητής a φιλοπότης, ut haec exempla retineam, prorsus non videntur differre, quamquam in priore composito τη suffixum ad solam secundam partem pertinet, in altero ambobus membris quodammodo est commune. Quid igitur mirum, quod exempla inveniuntur, quae utra ratione accipienda sint, dubitari liceat? Ut φιλογελοιαστής et eum significare potest, qui amat iocatores (γελοιαστάς) et illum qui amat τὸ γελοιᾶν, et φιλεραστής aliis is est, qui diligit amatores, ἐραστάς, aliis ὁ φιλῶν (τὸ) ἐρᾶν. — Quae differentia eadem de iis compositis videtur esse statuenda, quorum partes posteriores adiectivorum verbalium in τος exeuntium prae se ferunt speciem. Discernenda et hic sunt illa vocabula, quorum in membris secundis re vera eiusmodi adiectiva, substantivorum scilicet partes agentia subsunt, ab iis, quibus videntur tantummodo talia nomina inesse. Nam ut φιλ-άγαθος, φιλό-καινος, φιλό-γλυκυς, φιλο-συγγενής homines designant φιλοῦντας τὸ ἀγαθόν, καινόν, γλυκύ, συγγενές, i. e. vere ex φιλ(ο)- et nominibus ἀγαθός, καινός, γλυκύς, συγγενής constare iudicanda sunt, plane item licuisse scriptoribus existimo cum adiectivo verbali substantive posito verbum coniungere; quamquam satis rara huius generis videntur esse exempla. Pertinet autem huc imprimis τανύ-πλεκτος, ab Aristodico (Anth. Pal. 7, 473, 3) de mitra dictum, quod non vereor explicare: τανύουσα τὸ πλεκτόν vel τὰ πλεκτά, extendens (longa exhibens) fila contexta (cf. τανύγλωσσος, τανυήκης, τανυγλώχιν, Cl. p. 164, adn. 262). Nec dubito, quin eiusdem generis adiectivum lateat in λειποτακτέω, quod originem apertum est trahere a λειπό-τακτος, h. e. λείπων τὸ τακτὸν (τὴν τάξιν), haec ipsa forma licet in usu Graecorum non fuerit[89]). —

[88]) cf. Schroeder. l. c. p. 208: «Häufig mag auch dort, wo das (alioqui) selbständige Wort ganz und gar mit dem zweiten Gliede der Composition übereinstimmt, trotzdem synthetische Composition vorliegen (i. e. stirps + stirps + suffixum), indem die Zusammensetzung ganz unabhängig für sich entstanden ist.« Tamen et ipse Schroederus huiusmodi terminationes ad sola posteriora membra refert eandemque ac Clemmius divisionem compositi instituit parum probabilem.

[89]) Hinc aliquantum lucis accedere videtur λειποτάκτης nomini, de quo quid statuendum sit, Clemmius fatetur se non satis habere perspectum. Suspicor enim λειποτάκτης pro λειποτακτήτης pronuntiatum esse eodem

Cum his, de quibus modo expositum est, cave alterius generis confundas exempla, quibus Clemmius maxime offensus est: φιλόθυ-τος (Aesch.), φιλόδυρ-τος (Aesch.), φιλαίακ-τος (Aesch.)[90]), φιλοίκτισ-τος, Soph. Ai. 580[91]). Est enim hic eadem quae supra fuit (p. 53) binarum stirpium verbalium consociatio (φιλοθυ-, φιλοδυρ-, φιλαιαγ-, φιλοικτιδ-), qua perspicuum est nihil exprimi nisi fluctuantem et incertam significationem amandi sacrificationem, commiserationem. Ea autem notio satis adhuc ambigua ut certo homini tanquam attributum adscriberetur, poetae adiectivi verbalis suffixum stirpibus commissis addiderunt. Qua terminatione (—τος) hic nihil aliud effectum censendum est quam id, ut composita adiectivorum formam induerent; passivam vero vim vocis Sophocleae in ipsa radice οἰκτιδ — situm opinor, vel potius ex sententiarum tenore colligi, id quod non magis mirandum est, quam quod exempli gratia φίλοικτος ab Aeschylo (Ag. 226) non is vocatur oculus, qui ipse commiserari amet alios, sed ille potius, qui aliorum hominum misericordiam movere cupiat[92]). Itaque si ab omni verborum societate seiuncta quattuor illa composita conspexisses, activamne haberent potestatem an passivam, omnino ignorares. His autem simillima sunt illa composita, quorum partes posteriores vulgarium adiectivorum cum aliter tum in ης et ος exeuntium fallacem adeptae sunt speciem. Cui rei ne exempla desint, praeter ea quae supra (p. 51) adhibita sunt, appono φιλοθήξ[93]), et ipsum a Clemmio citatum, et ? μελλόγαμος Sophocleum, de quo p. 8 adn. 7 commemoratum est.

Expositis his iusto fortasse copiosius vix necesse est addam, non adiectivum verbale infinitivi vice fungi, id quod fieri non

brevitatis studio, quo ἀμφορεύς dicitur pro ἀμφιφορεύς, κελαινεφής pro κελαινονεφής, μελανθής pro μελανανθής (cf. Todt. p. 22), βδελύκτροπος pro βδελυκτότροπος, sim. — Aliam explicandi huius vocabuli rationem Schroederus temptavit, de qua cf. adn. 94, p. 56. Obiter id compositum tetigit Lobeckius Paralipp. I, p. 227.

[90]) cf. Todt. p. 46.

[91]) Adde φιλόκλαυ-τος, φιλόκτισ-τος, φιλόπευσ-τος, φιλένδο-τος, φιλοτώθασ-τος.

[92]) cf. Eur. Iph. Taur. 1054: ἔχει τοι δύναμιν εἰς οἶκτον γυνή, «habet vim ad miserationem excitandam mulier» (Fix). Quamquam Sophocleo in loco fortasse medialis potius sententia statuenda est: ut Ellendtius interpretatur: «proclivis ad fletum» (οἰκτίζεσθαι).

[93]) h. e. φιλῶν τὸ θήγεσθαι; cf. φιλόπλεκτος κόμη (Antip. Sid. Anth. Pal. 6, 206), coma quae plecti amat.

posse Clemmio libentissime largior, sed meram verbi radicem, cui tale munus suscipere in compositis quidem licere vix opinor quemquam esse negaturum [94]).

§ 9.
Parasyntheta.

? ἐλαφηβολία, cervorum venatio, Ai. 178; Callim. Dian. 262; Eustath. Opusc. p. 356, 29. — Adiectivum ἐλαφηβόλος, a quo hoc substantivum descendit, apud Homerum est et apud ipsum Sophoclem (Tr. 213). cf. nomen τῶν Ἐλαφηβολίων et mensis Ἐλαφηβολιῶνος.

παιδουργία, i. q. παιδοποιία, O. R. 1248; Plat. Legg. 6, p. 775, C; Poll. 3, 14; Phot.; Suid. — παιδουργός Constant. Manass., Theophyl., al. — παιδουργέω Eur. Ion. 175.

§ 10.
De singulari quodam obiectivorum genere.

Hic demum locum dabo compositorum quorundam gregi, quae, quamvis ex eodem cum obiectivis fonte aperte manaverint, tamen num simpliciter obiectiva appellare fas sit, valde debet ambigi. Nominativo enim intellegendum est, quod membro priore continetur substantivum ac pro subiecto posterioris partis accipiendum verbalem stirpem exhibentis. Quare, si omnino peculiare nomen his vocabulis indere oportet, passiva obiectiva ut vocitentur, paene sim auctor, non quo facilem putem hanc appellationem aut elegantem, sed quia brevissime illo nomine origo et significatio verborum videtur indicari. Quod quo iure dictum sit, ex insequentibus apparebit. Sed cum nemo adhuc haec potissimum composita ut peculiarem materiam tractanda sibi proposuerit multaque in medio relicta sint quae explicatione magnopere egeant, missum paulisper Sophoclem faciamus ac paulo amplius spatium disserendi nobis vindicemus. — Sat nota est ac celebrata scriptorum Graecorum, imprimis poetarum consuetudo illa, qua unam notionem animis legentium graviter imprimendam pluribus signi-

94) Vides non opus esse difficillima explicatione a Schroedero (p. 298. 380. 381) prolata, qui ad substantiva in τις (σις) terminata confugiens et illud τα (τη, τη-ς) et hoc το (το-ς) ad τι suffixum revocat; ut λειποτάκτης positum dicit pro λειπόταχτις (-ξις), φιλοπότης pro φιλόποτις (-σις), φιλόδυρτος pro φιλόδυρτις (-σις), φιλόθυτος pro φιλόθυτις (-σις), cet.

ficant communis originis vocabulis. Quae dicendi ubertas cum aliis in locutionibus tum in ea cernitur, quod substantivum casu accusativo enuntiatum iterum exhibetur verbo cum eodem nomine obiectiva ratione coagmentato. Hunc usum ut brevibus illustrem, satis habeo ablegasse lectores ad illa exempla, quae Lobeckius Paralipp. p. 537 collegit: ὁδοποιεῖν τὴν ὁδόν, τὸν δίφρον διφροφορεῖν, ἱπποτροφῆσαι δύο ἵππους, φλεβοτομεῖν τὰς φλέβας, quibus addere licet Homerica βοῦς βουκολέεσκες (Il. XXI, 448) et οἶνον οἰνοχοεῦντες (Od. III, 472).

Nec magis oportet immorari diutius in ea licentia a nostra lingua longe sane aliena, ex qua Graecis concessum erat obiectum illud non eodem nomine, sed synonymo repetere. Quod apud pedestres quidem scriptores solis in iis fieri animadvertimus verbis, quibus quod inest substantivum, id de propria sua vi aliquantum iam videtur remisisse, ut in βουκολεῖν (ἵππους, αἶγας, παῖδας), οἰκοδομεῖν (τεῖχος, πυραμίδα), νεωλκεῖν (πορθμεῖον); quae verba cotidiano usu trita non mirum est tanquam simplicia saepius adhibuisse Graecos, cum composita ea esse vix iam aut ne vix quidem illi sentirent. Multo vero frequentius poetae hanc licentiam sibi assumpserunt; quos consulto ac de industria alienae stirpis substantiva apponere cernimus verbis, quae commodum ab ipsis excogitata atque composita infractam integramque habeant membri nominalis vim ac significationem. Ac ne in re cognita et pervulgata multus sim, contentus sum ex Homero «omnis ornatus poetici fonte» citasse celeberrimum illud Ἥβη νέκταρ ἐῳνοχόει (Il. IV, 3), cui similia sunt, quae apud Sophoclem leguntur: ταυροκτονεῖ βοῦς (Tr. 760) et μηλοσφαγεῖ ἱερά (El. 280) [95]).

His praesidiis instructi aggrediamur, si placet, ad composita illa, quae, si solvuntur, nominativum praebent, neve eo nimis terreamur, quod paene pertimuisse ea homines docti videntur, modo silentio ea praetereuntes, modo festinanter ut abnormia notantes. Est autem explicatio eorum ex eadem obiecti geminatione petenda, de qua modo sermo fuit. Passivam enim in formam si converteris locutiones illas active prolatas, ex accusativo duplici evadat necesse erit duplex nominativus, sive idem substantivum bis positum fuerit, sive synonymum proprii nominis in locum substitutum. Cogeris igitur dicere: ὁδοποιεῖται ὁδός, διφροφορεῖται

95) cf. I. Schmidt. l. c. p. 71.

δίφρος, ἱπποτροφοῦνται ἵπποι, φλεβοτομοῦνται φλέβες, vel οἰνοχοεῖται νέκταρ, ταυροκτονοῦνται βόες, μηλοσφαγεῖται ἱερά, ne ex Iliade (XX, 221) afferam «ἵπποι βουκολέοντο» vel ex Herodot. II, 126: «[ἔφασαν] τὴν πυραμίδα οἰκοδομηθῆναι», ubi βοῦς et οἶκος nominum propemodum evanuisse pondus iam supra memoravimus. Iam verbum rectum in participium (aut adiectivum verbale) iube, sodes, abire, ut quae praedicative adhuc dicta sunt, eadem nunc attributiva ratione enuntientur: evenient ὁδοποιηθεῖσα ὁδός, φλεβοτομηθεῖσαι φλέβες, οἰνοχοηθὲν νέκταρ, ταυροκτονηθέντες βόες, cet. Ab his dic, quaeso, si poteris, quanam re differant Sophoclea τύμβοχωστον ἔργμα, δικτυόκλωστοι σπεῖραι, alia, quae infra locus erit percensendi singula. Profectam igitur vides hanc dictionis singularitatem, quae primo oculorum obtutu paene monstruosa videbatur, ex sermonis Graeci legibus, quae quidem iis, quibus nostra lingua coercetur, haud raro aliquanto sunt laxiores; neque ullam mecum consenties exsistere causam, cur protinus ab initio immodicae audaciae huiusmodi composita prae aliis incusentur. Quod si feceris, idem postulabo ut iudices — id quod noles — de «pervulgata ac paene cotidiana» dicendi ratione, qua adiectiva aut isdem apponuntur substantivis, quibuscum composita sunt, aut nominibus affinis significatus (Lob. Paralipp. p. 536). Exempla ex magna quam Lobeckius (l. c.) et Guil. Holtzeus («Adversaria semasiolog. cet.») congregarunt turba haec sufficit apposuisse: πόλις νεόπολις, ποῦς τυφλόπους, αἷμα ὅμαιμον, σελήνη πανσέληνος, σελήνη πάμμηνος, εὐόρνιθες οἰωνοί, χαίτη εὔθριξ, ὀφθαλμοὶ εὐωποί. A quibus nostra composita eo tantummodo videntur differre, quod pro vulgaribus adiectivis (νέος, τυφλός, ὁμός, πᾶς) vel adverbiis adiectivorum loco positis (εὖ) adiectiva verbalia exhibent, sive — ut dicam quomodo possum — eo, quod illa τὸ εἶναι significant, haec τὸ γενέσθαι. Ad adstrictam autem et nervosam orationem efficiendam quantum huiusmodi epitheta conferant, neminem, qui aliquem poeticae dictionis habeat sensum, non intellecturum puto. Itaque toto pectore poetae tragici id compositionis genus amplexi sunt atque Aeschylo duce eo usque insolentiae postremo provecti sunt, ut complura eorum inventa ad certas grammatices vel logices regulas periculosum videatur revocare.

Internoscenda enim sunt huius usus, quem in dies increbruisse cernimus, quattuor tanquam aetates atque gradus.

1. Primitus — quae est eius origo — ita tantum is permissus erat ac legitimus, ut nomen iam semel enuntiatum denuo adiectivo verbali praefigeretur, quasi sola appositione attributi non contentum quam artissimam inire cum eo cuperet coniunctionem. Quae ratio simplicitate quadam paene nimia haud libera timendum erat poetis ne saepius adhibita auditores taedio satiet.

2. Quare licentiae illius fines angusti mox ita sunt prolati, ut notio tantum subiecti revocaretur verbumque tali nomini adiungeretur, quod significatione nec tamen stirpe subiecto esset cognatum. Eius autem affinitatis compluria statuenda sunt genera. Ac primum quidem ea inter synonyma intercedit ratio, ut substantivum genus indicet, epitheton speciem, qua notio illa artioribus terminis circumscribatur iis, qui sententiae conveniant. Quod si evenit, composita nostra ad determinativorum significationem prope videntur accedere; ut σπείραισι δικτυοκλώστοις[96]), Ant. 347, spirae designantur «in retis modum nexae» (Ellendt.) et τυμβήρει θαλάμῳ, Ant. 946, habitaculum notatur sepulcri instar aedificatum (cf. τυμβήρεις ἕδραι, Aristoph. Them. 889, ἁμαξήρη θρόνον, Aesch. Ag. 1013). Quae tamen non re vera in determinativorum numero ponenda esse, alia docent exempla, quae, quamvis eadem ratione conficta sint, tamen eiusmodi sententiam minime praebent[97]). Exempla ne plura afferamus, unius mentionem inicimus loci Euripidei, Herc. Fur. 396. 397: «χρυσέων πετάλων ἄπο μηλοφόρον χερὶ καρπὸν ἀμέρξων»; ubi non opus est ineptam codicum scripturam μηλοφόρον cum Wakefieldio mutare in μηλοφόρων. Passive enim sumendum videtur vocabulum ac προπαροξυτόνως notandum: μηλόφορον, ut malum significetur, quod arbore feratur, iuxta ac si poeta dixerit καρπὸν μήλου φερομένου. — Rarius, ut consentaneum est, contrarium occurrit, ut substantivo speciem designante generis nomen per epitheton compositum adiciatur. Unicum huius dictionis mihi praesto est exemplum: ἀγρόνομος, quo in Ant. v. 786 αὐλαὶ describuntur, in O. R. v. 1103 πλάκες. Neque enim assentior Ellendtio priore in loco ἀγρονόμος[98]), in posteriore πλάκας ἐν ἀγροῖς νεμομένας intellegi

[96]) cf. ἀρκυστάταν μηχανάν, Eur. Or. 1420.

[97]) Dicta haec sunt contra Iasperum (l. c. p. 21).

[98]) Haec forma activa cum alibi tum apud Homerum invenitur (Od. VI, 106).

iubenti. Immo ut supra κλώθεσθαι dicta sunt δίκτυα eoque ipso modo et σπεῖραι, vel ἀραρίσκεσθαι et τύμβος et θάλαμος, plane item, opinor, hic νέμεσθαι (coli) putanda sunt et ἀγροὶ et αὐλαὶ vel πλάκες. — Adiacent exempla, ubi altero nomine totum, altero pars exprimitur. Spectant autem huc praeter ἀγέλαις βουνόμοις[99]), praeclara brevitate dictum pro ἀγέλαις νεμομέναις βοῶν νεμομένων, O. R. 26, et κερασφόρους[100]) στόρθυγγας, h. e. στόρθυγγας φερομένας κερῶν φερομένων, fr. 110 (87), creberrima illa epitheta in κτονος, φονος, φθορος exeuntia et plerumque αἷμα substantivo subiuncta. Composita dico, qualia sunt αἷμα χοιρόκτονον, Aesch. fr. Nauck. 319, αἷμα τραγόκτονον, Eur. Bacch. 139, μητρόκτονον αἷμα, Eur. Or. 833. 1649, ἀνδροφθόρου[101]) αἵματος, Ant. 1082, αἷμα παιδόφονον, Eur. Herc. Fur. 1201, alia, quorum in explicatione magnopere fluctuant et inter se dissentiunt interpretes. Quamquam enim ad unum omnes id videntur intellexisse, cohaerere locutiones illas cum notionibus τοῦ κτείνειν χοίρους, τράγους, ἄνδρας, cet., tamen qua ratione hae significationes conciliandae essent cum tota uniuscuiusque enuntiationis sententia, ne unus quidem, crediderim, satis habuit exploratum. Sunt enim qui in paenultimacuentes eiusmodi composita omnia activas notiones illas non dubitaverint intactas relinquere, quasi sanguinem ipsum animalia caedentem poetae finxerint. Credat si cui libet. Neque Elmsleium difficultatem iudico sustulisse, qui repudiata Porti (ad Eur. Basch. l. c.) proba adnotatione: «praestare προπαροξυτόνως scribere τραγόκτονον αἷμα, ἤγουν αἷμα τῶν τράγων τῶν κτανθέντων», in eo acquievit, αἷμα illic valere pro φόνος. Quod suo iure Lobeckius infitiatus est (ad Aiac. 324), quamquam alioqui posse id fieri Elmsleio concessit; secernendos enim esse docet eos locos, ubi αἷμα pro caede dicatur, ab illis, ubi proprie sanguis significetur; quare modo proparoxytonesin modo paroxytonesin ait praeferendam esse. Equidem talem disceptationem non modo lubricam ac difficilem, sed — pace viri illustrissimi dixerim — etiam pravam censeo, ut qua statuatur existere locos, in quibus αἷμα nomine praeter caedem nihil prorsus aliud exprimatur. Immodicam enim orationis

[99]) Alio sensu hoc adiectivum dictum est in El. 181 et Aesch. fr. Herm. 266 (Nauck. 245), ubi prata bubus depasta significantur.

[100]) κερασφόρος, corniger, frequentatur ab Euripide, Platone, Galeno, Eustathio, al.

[101]) cf. ἀνδροφθόρος ἐχίδνη p. 33.

violentiam vereor ne poetis obtrudamus, si voce tam publici ac pervulgati usus ita usos vel potius abusos esse eos credamus, ut verae et propriae significationis nullum remaneret vestigium. Immo poeticae dictionis venusta audacia non est ea, ut plane exstinguere poetis fas sit naturales et principales vocabulorum notiones, sed ea potius, ut, prout res ferat, nunc in fines solito angustiores eas coartent, nunc ampliores illas reddant ac latiores. Alii denique et ii plurimi epitheta illa primum extra sententiarum nexum posita active interpretantur, mox cum ceteris enuntiati verbis consociata passive volunt intellegi, subita ista unde orta sit significationis mutatio, caute silentes. In quod vitium et Todtius incidit, qui verba παρθενοσφάγοισι ῥεέθροις (Aesch. Ag. 196) primum (p. 37) accepit pro fluminibus (sanguinis) «virginem mactantibus», paulo post vero (p. 56), miro modo simul et activum et passivum sensum inde eliciens, sumi iubet pro «ῥεέθροις γενομένοις τῷ σφάττειν τὴν παρθένον.» Apparet autem passivam vim habere ac προπαροξυτόνως pronuntianda esse talia αἵματος epitheta omnia[102]). Nam cum qui animal occidit, eodem tempore et animam et sanguinem discedere e corpore sentiat, nemo mirabitur, quod poetis divino quodam spiritu afflatis et ipse sanguis necari videbatur. Pauca ut de multis afferam exempla, praeter Sophocleum »Τυδεὺς . . . ἀνδρὸς συγγενοῦς κτείνας, fr. 153 (726), conferatur, quod apud Euripidem aliquotiens legitur, σφάζειν αἷμα (El. ἐπέσφαξ' αἷμα, ibid. 281: αἷμ' ἐπισφάξας, Hel. 1255: προσφάζεται αἷμα)[103]). Igitur quod supra accidit, ut duobus subiectis aut idem aut similia designantibus unum subiungeretur verbum ἀπὸ κοινοῦ positum, id ne in his quidem locutionibus deest: κτείνεται enim et homo (μήτηρ, ἀνήρ, παῖς) vel hostia (χοῖρος, τράγος) et κτείνεται quodammodo ipse sanguis (αἷμα).

Iam transeo ad exempla, in quibus substantivum ad compositionem adhibitum materiam indicat eius rei, quae altero nomine notatur. Praecedat Aeschyleum (Cho. 27) λινόφθοροι λακίδες —

[102]) Aliter res habere sese videtur, ubi similia adiectiva nominibus φόνος, θάνᾶτος, φθόρος vel μίασμα, ἄγος, κηλίς, al. adduntur, quae quo iure cum illis locutionibus Lobeckius comparaverit, non hic locus est examinandi.

[103]) Haud ineptum videtur hoc loco monere, ab Euripide etiam cervicem interfici dici; cf. Or. 1199: «σφάζε παρθένου δέρην» et Iph. Aul. 1516: «δέρην σφαγεῖσαν.»

sic enim scribendum puto pro vulgari λινοφθόροι — quod miror ab interpretibus accipi solere pro pannis linum perdentibus; ut G. Hermannus, vir summus, iungendum esse docuit «λινοφθόροι ὑφασμάτων i. e. φθείρουσαι τὰ τῶν ὑφασμάτων λίνα». Sunt potius panni (laceri) lini (h. e. vestitus lintei) lacerati [104]), quos Euripides Aeschyleum ad exemplar se applicans ῥακόδυτον στολὰν appellavit (Rhes. 712), vestem pannorum (pannosam) indutam. Eadem ratione explanandum est, quod Sophocles Ant. 1216 dedit: ἁρμὸν λιθοσπαδῆ, quod iguoro cur a lexicographis, in quibus et Ellendtius est, exponatur: lapidibus evulsis factus, quasi ἁρμὸς lacuna sit ac non potius contrarium: coagmentatio, compages. Significat haud dubie poeta muri compagem divulsam divellendo lapides, i. e. murum qui divulsis lapidibus ipse corruit. Neque aliter idem dixit: αἱμορραγὴς φλέψ, Ph. 825 (Hippocr.), si quidem nihil impedit, quominus φλέψ et αἷμα putentur ῥαγῆναι dicta esse a poeta. Alio enim sensu de φλὲψ voce accipi voluit Sophocles verbum ῥήγνυσθαι, alio, opinor, de αἷμα, sic ut vena rumpi diceretur, erumpi sanguis (quem verbi ῥήγνυσθαι usum non est quod hic exemplis probem). Nolo enim notione τοῦ ῥαγῆναι ad unum φλὲψ ut subiectum relata priori compositi membro (αἱμο—) dativi instrumentalis subicere sensum, ut simpliciter vena designetur, quae sanguine (intus concluso) perrumpatur. Nec recusant eandem illam per duplex subiectum explicationem frequentissima illa cum —χυτος, —χοος, —ρυτος composita, ut Sophoclis (Ph. 715) οἰνόχυτον [105]) πῶμα, potus vini infusi, vel Euripidea ὑδρόχυτοι κρῆναι (Cycl. 66), πῶμα ὑδρήχοον (fr. Nauck. 884), ῥανίδες αἱματόρρυτοι (Iph. Aul. 1515), alia, quae apud omnes poetas passim deprehenduntur similia. In quibus tamen propterea mihi diffido, quod haud scio an intransitivam vim hic — ut saepe alias — contraxerint adiectiva verbalia χυτός, ῥυτός, —χοος, substantiva autem, quibuscum colligata illa sunt, dativo intellegenda sint: vino, aqua, sanguine manans.

[104]) Sensum verborum iam Erfurdtius probe perspexerat, qui (ad Soph. Ant. 1009) hanc dedit expositionem: «λακίδες λίνων φθαρέντων», temere spretam a viris doctis. Ceterum ad eandem formulam Aeschylus (Pers. 837) dixit: λακίδες ἀμφὶ σώματι στημορραγοῦσι ποικίλων ἐσθημάτων): laciniae rumpuntur staminibus ruptis.

[105]) Active idem vocabulum Nonnus posuit, Dion. 13, 256: Διόνυσος, ib. 33, 74: Ἥβη.

3. Crebro autem ac diuturno usu tam faciles atque ordinariae huiusmodi locutiones poetis tragicis videri coeperunt esse, ut nova cum licentia implicare eas non dubitarent, ea scil. cum breviloquentia, qua consuetum poetis erat dicere: βάλλειν, τύπτειν, ῥηγνύναι ἕλκος pro βάλλειν, τύπτειν, ῥηγνύναι ποιεῖν ἕλκος; τιτρώσκειν, κείρειν φόνον pro τιτρώσκειν, κείρειν ποιεῖν φόνον. (cf. Matth. Gramm. § 408. 409; Lobeck. Paralipp. p. 501 sqq.; Wunder. Cens. Aiac. Lob. ad v. 42). A simplicioribus ut exordiar exemplis, ex Aeschyli fabulis appono τυμβόχοα χειρώματα (Sept. 1006), parum recte vulgo τυμβοχόα ab editoribus scriptum. Passivam enim potestatem χείρωμα videtur habere atque illud indicare, quod manibus confectum est, τυμβόχοος autem de aggerendo tumulo dictum esse Polynici a civibus negato [106]). Est igitur eadem, quam supra animadvertimus, orationis plenitudo, simul vero verborum quaedam brevitas, quae mirum quantum ad affectus auditorum concitandos valet: χεῖται enim ὁ τύμβος et χεῖται, h. e. τῷ χεῖν ποιεῖται, τὸ χείρωμα. Aeschyleus autem hic locus Sophoclis animo non potest non obversatus esse, cum in Antigona fabula (v. 849). — «Septem» tragoediae imitationis vestigiis affluente — «πρὸς ἕρμα τυμβόχωστον [107])» progredientem virginem cognominem faceret. Ubi etiam maior Sophoclis et Aeschyli fiet similitudo, si pro ἕρμα, quod Blomfieldio et Hermanno debetur, librorum scripturam ἕργμα revocaveris, ita tamen, ut non ab εἴργω deductam — ut vulgo creditur — sed cum ἔρδω cognatam vocem putes (= ἔργον). Vides enim egregie ita inter se respondere τυμβόχοα et τυμβόχωστον, χείρωμα et ἔργμα, eundemque ex utroque loco evadere sensum: opus (manuum) in sepulcri modum aggestum [108]). Tertiae igitur huius classis differentia eo potissimum cernitur, quod unum verbum ad duo subiecta pertinens non uno eodemque sensu dictum est, sed propria vi de altero nomine positum translata subaudiendum videtur ad

[106]) Moneo hoc propter Schuetzium, qui neglecta aliorum interpretum sententia et usu vocabulorum χῶμα, τυμβοχόη, τυμβοχοέω, κατατυμβοχοέω, πολύχωστος (τάφος, Choeph. 347) sim. de libationibus offerendis cogitavit.

[107]) A Sophocle hoc epitheton mutuatus est Constantinus Manasses (Chron. 3474. 6382).

[108]) cf. Tryphiod. Ἁλ. Ἰλ., v. 2: ἔργον ἱππήλατον, de equo a Graecis aedificato.

alterum[109]). Quod ut dilucidius perspiciatur, alia nonnulla adiungam exempla ex Aeschyli et Euripidis fabulis prompta: θοίναις βουφόνοις[110]) (Prom. 531) et βουθύτῳ ἡδονῇ (Ion. 664): epulis e bubus mactatis confectis; βορᾷ ἀνθρωποκτόνῳ (Cycl. 127): cena ex hominibus occisis constante; κουροβόρῳ πάχνᾳ, cruore ex sanguine puerorum comesorum facto s. orto (Ag. 1480); itemque a nominativis proparoxytonis repetenda sunt, quae Lycophro scripsit (v. 1199): παιδοβρώτους θοίνας, et quae in Anth. Pal. XI, n. 60 leguntur: ταυροφόνων κρέα δόρπων[111]).

Iam producenda sunt composita, quae, quamquam activa ratione enodantur facilius, tamen a passiva interpretatione non videntur prorsus abhorrere. Ut, si Aeschylus Ch. 258 dixit βουθύτοις ἤμασιν et similiter Euripides Hel. 1474: βούθυτον ἁμέραν, primo quidem adspectu praeter passivam explicationem nulla alia videtur esse in promptu; mox verbi θύειν usum consideranti illum, quo non modo hostia θύεσθαι dicatur, verum etiam id, quod sacrificiis celebratur[112]), dubitatio oritur, an forte etiam hic duplicem verbi significationem poetae respexerint, cum illa fingerent. Qua ambiguitate ne alia quidem epitheta eaque cum —σφαγος et —φονος composita carent, ut ἡμέρᾳ ταυροσφάγῳ, de quo p. 33 locuti sumus, vel Pindaricum ταυροφόνῳ τριετηρίδι (Nem. VI, 69). Quid enim, si caedendi notio ad θύειν verbi vim prope sane accedens simili modo flexa ac declinata a poetis esse putatur atque Latinum «mactare», quod primitus[113]) de solis victimis immolandis usurpatum postea de diis sacrificio placandis sexcenties constat adhibitum esse?

4. Sed ne in hoc quidem licentiae gradu tragici se retinuerunt: campo semel aperto audacius in dies vires suas coeperunt periclitari, adeoque postremo in hoc compositionis genere luxuriati sunt, ut id non iam videantur memoria tenuisse, a simplici

[109]) Unde sequitur, locutionem αἱμορραγὴς φλέψ, quam in secunda classe posuimus (p. 62), medium potius locum quendam obtinere inter secundum et hunc tertium ordinem.

[110]) cf. Eur. Hec. 1077: σφακτὰν ... δαῖτ'.

[111]) Maximam exemplorum quae adhibemus partem Lobeckius nobis suppeditavit (ad Aiac. v. 324).

[112]) cf. Aristoph. Avv. 922, θύειν δεκάτην, Plut. V. Pomp. c. 55: θύειν γάμους; al.

[113]) cf. Curt. Grundz. ed. IV, p. 328.

subiecti geminatione profectam esse totam hanc dicendi rationem. Cum enim artum notionis vinculum, quo duo illa substantiva continebantur, sensim ac quasi pedetemptim laxatum esset, fieri non poterat quin et ipsum verbum, quod initio ad utrumque nomen optime quadrabat, significationi substantivi epitheto ornandi magis magisque inciperet repugnare. Quod iam in iis exemplis, quae tertio ordini assignavimus, quodam modo accidisse non licet non agnoscere: ubi consociata erant nomina quae nullam inter se haberent notionis similitudinem: θοίνη vel ἡδονὴ et βοῦς, βορὰ et ἄνθρωπος, κοῦρος et πάχνη, cet. Noli igitur nimis mirari, perrexisse poetas remittere — ut ita dicam — habenas, quibus verbum epitheto includendum regebatur a substantivo, cui adiectivum compositum tribuendum erat. Ut in hoc Euripidis loco: «γονυπετεῖς ἕδρας προσπίτνω σ' ἄναξ» (Phoen. 293) verbum προσπίτνω docet, referendam esse γονυπετεῖς vocabuli partem posteriorem (—πετεῖς) non solum ad γόνατα, sed etiam ad ἕδρας; quod tamen fieri non potest nisi ita, ut πεσοῦσαι (—πετεῖς) ἕδραι accipiantur pro sessione τῷ πεσεῖν effecta[114]). Cognoscis, opinor, quantopere iam solutus sit nexus ille, quo primitus adiectivi et substantivi notiones cohaerebant.

Iam id audaciae restabat unum, ut vinculum illud prorsus rumperetur atque ad id solum substantivum referretur stirps verbalis, quocum ipsa esset conectenda. Nec veriti sunt poetae usque ad ultimos hos cancellos progredi. Sic Euripides spolia hominum peremptorum σκῦλα βροτόφθορα (vulgo: βροτοφθόρα) ausus est vocare in fr. Nauck. 268, nec secus Aeschylus finxit πάθεα δακρυοπετῆ, «mala ob quae lacrimae cadunt» (Todt. p. 35) et ἀνδροθνῆτας Ἰλίου φθοράς, Troiae excidium quo homines perierunt (Agam. 781); cui proxime adiacet Euripideum δοριπετὴς ἀγωνία, pugna, ubi hastae emittuntur (Tro. 1003). Quid? quod Aeschylus idem illud ἀνδροκμὴς non reformidavit cum πέλεκυς consociare

[114]) Id ne temere aut nimis artificiose excogitatum a nobis esse putes, confer praeter alia Eur. Andr. 652. 653: πεσήματα πέπτωκε δοριπετῆ νεκρῶν, i. e. plurimae ruinae ruerunt (factae sunt) caesorum. Contractione igitur quadam verborum usus Euripides idem significavit in Phoen. 293, quod Hel. vv. 894/5 solutius ac facilius ita expressit:

ὦ παρθέν', ἱκέτις ἀμφὶ σὸν πίτνω γόνυ
καὶ προσθακίζω θᾶκον οὐκ εὐδαίμονα.

Ceterum cf. Wund. Cens. Aiac. Lobeck. p. 58.

(Choeph. 877), securim designaturus qua viri occiderentur. Paene nimiam, etsi nostram et dicendi et cogitandi rationem non respicimus, istae locutiones spirant audaciam iustoque sane obscuriora solvenda lectoribus proponunt aenigmata. An hoc facile intellegitur, quo iure, quod rei alicui accidat, ut attributum delegetur alii rei, quae toto caelo, ut dicunt, ab illa distet? Itaque non casu et fortuito fieri arbitror, ut in iis quidem, qui ad nostras manus pervenerunt, versibus Sophocleis talia nusquam deprehendantur. Immo displicuisse eiusmodi inventa putaverim subtili ingenio Sophoclis pondera verborum tanquam aurificis statera semper examinantis. Nam νιφοστιβεῖς χειμῶνες (Ai. 671), quod lexicographi nostri (Papius, Passowius, Ellendtius) interpretantur: hiemes quibus nivium moles peragrantur, non dubium est quin non modo simplicius et sublimius, sed subsequentibus verbis etiam accommodatius explanatum sit a Schneidewino; qui χθονοστιβής vocis exemplo nisus hunc illinc produxit sensum activum: tempestates hiemales quae per nivium moles eunt s. ruunt («über Schneemassen dahinfahrend»)[115].

Sed haec hactenus. Vix autem opus est, ut adiciam, minime in animo me habuisse, universam hanc materiam absolvere ita, ut quaecumque spectare huc viderentur, ea in examen adducerem omnia. Quod si facerem, fines vereor ne excederem huic libello, qui est de Sophocle, constitutos.

Caput IV.

Possessiva.

Nostro iure novissimo loco possessiva posuimus. Nam si — id quod in ceteras adhuc cecidit compositorum classes — eo tantum animum adverteris, inter membra conexa qualis intercedat necessitudo, haec vocabula ab illis, de quibus iam disputatum est, nihil distare senties: neque enim ulla incides in exempla, quae non aut determinativam aut obiectivam consoexempla, quae non aut determinativam aut obiectivam consociationem exhibeant membrorum. Totius vero compositi si spectaveris vim ac significatum, novum momentum accessisse intelleges,

[115]) Perperam Wunderus: «νιφοστιβής significat nive densus, schneegedrängt, schneedicht.»

quod quamquam externa vocabuli forma saepe non expressum est ita, ut oculis percipi queat, tamen mente semper est subaudiendum. Indicant enim huius classis composita praeter eam imaginem, quae singulorum membrorum significationibus procreatur in unam cogitationem contractis, etiam id, ad aliam rem notionem illam concretam tanquam attributum referendam esse. Admirabili igitur mentis acumine Iustius docuit[116]), huiusce ordinis discrimen in eo praecipue verti, quod illic intra fines, hic extra fines compositi subiectum situm esset. Unde efficitur, ut possessiva ad unum omnia adiectiva sint, quamvis membra ipsorum posteriora semper substantiva contineant, modo adiectiva terminatione instructa modo integra relicta. Itaque fortior hic quam alioqui esse compositionis vis est indicanda: tantum enim ea valet, ut omni adminiculo supersedens suo ipsius pondere rigidum quasi robur substantivi infringat totiusque vocabuli sensum ad describendam aliam rem aliquam reddat idoneam. Exemplo sit notissimum illud nomen, quod, postquam a Lobeckio (ad Phryn. p. 600) propositum est, iterum atque iterum ab hominibus litteratis adhiberi solet: καλλίπαις dico, quo ab Euripide (Or. 964) ἡ καλὴ παῖς ipsa notatur, a Platone vero (Phaedr. p. 261 A) pater καλῶν παίδων, h. e. ὁ καλοὺς παῖδας ἔχων; quod fieri non potuit nisi ita, ut notio verbi καλλίπαις velut libertate orbata alterius notionis imperio subiceretur[117]). Scito autem iudicio nomen his compositis Boppius imposuit possessivis, nec video quanam appellatione alia eius classis proprietas distinctius indicari possit et acrius. Nam qui ut parum generalem titulum illum reprehendunt, quia diversissima huius generis vocabulis exprimantur, ii id haud satis videntur perpendisse, latissime patere possidendi notionem permultasque significationes ea comprehendi et maxime varias. Apparet enim possessionem alicuius rei dominationem in se continere eiusmodi, ut, qui rem teneat, is pro arbitrio emittere illam possit atque edere. Quemadmodum igitur habere et ἔχειν verba sic saepius subtiliore sensu usurpantur, ut hoc exhibere potius significet vel praebere vel afferre atque efficere, illud παρέχειν vel αἴτιον εἶναι

[116]) «Ueber die Zusammensetzung der Nomina in den indogermanischen Sprachen, Göttingen 1861», p. 118.

[117]) cf. quae de ea re diserte exposuit Heerdegenius l. c. p. 18. 19.

τινος: plane item, opinor, ea quae in compositis possessivis latet notio τοῦ ἔχειν variis modis immutari poterat ac declinari. Sic possessiva creberrime originem vel causam designare videntur, unde aliquid oriatur; ut μεγιστόπολις a Pindaro (Pyth. 8, 1) appellatur ἡ ἡσυχία, quae urbibus saluti est easque opulentas reddit. Sed diligentius si rem inspexeris, huiusmodi significationes non minus e toto orationis contextu perspicies te elicuisse quam ex ipsis compositis, quibus solis haud credibile est tam definite et clare exprimi posse, quali ratione res inter sese sint conexae[118]. Accedit praeter alia rerum inanimatarum prosopopoeia, quae vocatur, frequentissima, qua instituta poetis licebat transferre epitheta, ut Lobeckius loquitur, «ab agentibus ad res proxime adiunctas». Inde enim crebro fit, ut adiectiva substantivis applicentur talibus, quibus, si ieiuno iudicio utimur, eiusmodi epitheta minime conveniant. Atque haec res saepissime causa est, cur interpretatio illa possessiva parum commoda videatur, quae eadem, si iis ipsis substantivis epitheta adiecta essent, de quibus proprie intellegenda sunt, nihil haberet offensionis. Exempli gratia affero ὀξύχειρ κτύπος (Aesch. Cho. 23); quod nemo non videt absurdum esse vertere: plangor pernices manus habens. Tamen infitiandum est, alium significatum ullum composito illi inesse, modo concedas, quod concedendum videtur, de ipsis mulieribus pectora plangentibus poetam cogitasse, cum vocabulum ὀξύχειρ fingeret, effictum autem per ὑπαλλαγὴν ad rem traiecisse a mulieribus effectam[119]. Iam ex hisce omnibus, quae dicta sunt, id elucet, possessiva, quo audacius adhibita sint, eo longius recedere videri a simplici habendi vel tenendi notione. Ad hanc igitur rem tanquam normam revocanda videntur possessivae compositionis exempla, quo facilius intellegatur, quantum unusquisque locus a cotidiani sermonis usu absit. Quare haud inepte, opinor, ita persequemur rem, ut priore loco ea composita enarremus, in

[118]) cf. Justi. l. c. p. 117: «Jede Composition dieser bezüglichen Art ist nun mit Hilfe des Begriffs des Besitzens aufzulösen .....; sofern das besitzende Subject als handelnd aufgefasst wird, kann man auch diesen Begriff bei der Auflösung zu Hilfe nehmen, ohne aber zu vergessen, dass eigentlich nur der des Besitzens in der Zusammensetzung liegt.»

[119]) Longe enim a compositionis natura abhorrent, quae de hac voce Ellendtius dixit s. v. μεσόμφαλος.

quibus possessionis notio aut plane manifesta sit aut paululum tantum obscurata, dein ea, in quae minus quadrare illa videatur.

§ 1.

Composita e binis substantivis constantia,

quibus Homeris maxime floret[120]) neque Aeschylus non satis gaudet[121]), Sophocles quoque larga manu praebet. Nam deductis quibusdam in ωψ (ωπος, ωπις, cet.) et ωδης exeuntibus, de quibus infra (c. VI) dicetur, itemque semotis illis, quorum membra posteriora rectius a verbis repetuntur, tamen sat amplus restat numerus vocabulorum huc pertinentium. Valet autem in iis omnibus membrum praecedens pro genetivo ac plerumque adiectivo apte redditur. Ecce exempla.

τύπωμα χαλκόπλευρον, El. 54, urna aerea latera habens; cf. Aesch. Choeph. 672: λέβητος χαλκέου πλευρώματα.

χαλκοσκελεῖς[122]) (βοῦς), fr. 320 (311), boves aerea crura habentes.

χρυσομίτραν Βάκχον, auream fasciam gerentem, O. R. 209; Athen. 4, p. 130, B. Femininum χρυσομίτρη apud Oppianum (Cyneg. II, 2) legi docet Lobeckius (ad Aiac. 175).

χρυσόνωτον ἡνίαν[123]) (Ἡλίου), habenam aureum dorsum habentem, h. e. «auro superne pictam ornatamque» (Herm.). Ai. 847. Suid. s. v. διφρηλατῶν et ἐπισχών; Eustath. p. 583, 43. 657, 19; Phavor. p. 1878. — cf. Eur. fr. Nauck. 159: χρυσεόνωτον ἀσπίδα.

? χρυσόμορφος, auri speciem habens, Iovis cognomen, qui in imbrem aureum conversus Danaes carcerem intravit, fr. Nauck. 1020[124]); Paul. Sil. 74, 120 (χ. εἶδος, sc. electri); Euseb. Praep. ev. p. 680, A.

δράκαυλος, fr. 569 (580), draconis domicilium habens s. obtinens, draconis domicilii consors, draconis contubernalis, unius ex Cecropis filiabus videtur fuisse appellatio, quae «συναυλίζεσθαι»

[120]) cf. Berch.: »Ueber die Composition der Nomina im Homer», Kiel 1866, p. 12. 13.

[121]) cf. Todt. l. c. p. 17. 18.

[122]) In possessivis enumerandis cur non singulas declinationes sequar, ex ipsa re, puto, apparebit.

[123]) cf. Il. VI, 205: χρυσήνιος Ἄρτεμις.

[124]) Sophoclisne sit, vehementer dubitatur.

credebatur «τῷ ἐν τῇ ἀκροπόλει δράκοντι», i. e. Cecropi patri «ὄντι διφυεῖ». (Suid.) Alii de Minerva cogitant, quae draconem in arce constituerit.

ἀελλόθριξ, fr. 273 (270), quid sibi velit, bene Ellendtius monet O. C. versu 1261 declarari: «κόμη δι' αὔρας ἀκτένιστος ᾄσσεται.» Est igitur: capillos habens vento agitatos [125]).

αἰδόφρονες, verecundam mentem habentes, O. C. 237; Eur. Alc. 659.

ἀνδρόφρων γυνή, mulier virilem mentem habens, fr. 680 (858); cf. Aesch. Ag. 11: γυναικὸς ἀνδρόβουλον . . . κέαρ.

§ 2.

Quae ex adiectivo et substantivo composita sunt.

παντόπορος, Ant. 360, omnia remedia possidens, nisi praestat priore vocabuli membro substantive sumpto interpretari: omnium (malorum) remedium (confugium) habens vel sibi parans.

παντομόρφῳ Θέτιδι, omniformi, fr. 548 (556); Hippocr. Epist. p. 1289, 54; Lycophr. 1393; Herm. Trismeg. p. 22, 46; 16, 39; cf. πάμμορφος Πρωτεύς, Theol. arithm. p. 7; πολύμορφος, Aristot., Luc., al.

πάμπλουτον ὄλβον, beatitudinem omnium divitiarum plenam, fr. 572 (583); Galen. vol. 6, p. 534; Phil. vol. 1, p. 455, 2; Maneth. 4, 85; Tzetz. Hist. 1, 203. — cf. παμπλούσιος, Plat., Dio Cass., al.

σίτοισι παγχόρτοισιν, victu omnes cibos continente, «opiparo» (Ell.), fr. 579 (600); cf. πανθοίνη δαίς, Suid. s. v.

ἀγῶνα πάγξενον, certamen quod omnes hospites quasi continet, h. e. quo quivis admittitur, fr. 68 (347). — cf. πολύξενος, Hesiod., Pind., Aesch., Soph., Eur., al.

* πανίμερος, omne desiderium habens, i. e. summo desiderio ardens, Mudgii ex coniectura elegantissima Dindorfius scripsit Tr. 660. — Legitur hoc vocabulum in Anth. Pal. 2, 169; ap. Maneth. (5, 78), alibi.

πάμμορος, O. C. 161 (ξένε πάμμορε) a Schneidewino (Philolog. VIII, p. 555) condemnatur inque eius locum κάμμορος Homericum

---

125) Paulo aliter accipiendum est Homericum ἀελλόπος, Iridis cognomentum; qua voce non tam id significari videtur, circumflari vento pedes deae, quam hoc, venti celeritatem pedes illius aequare.

subrogatur. Deesse enim ait primariam, h. e. adversae fortunae, notationem, qua supersedere poeta nullo pacto potuerit infelicem hominem significaturus. Cui iudicio cave praepropere subscribas. Nam ut id omittam, nullo loco non de mala sorte μόρος nomen positum inveniri, ne illud quidem facile concedam, omnino desiderari expressiorem κακοῦ μόρου designationem. In vulgus enim pervulgatus est Graecorum mos ille, ex quo apertam infaustarum rerum enuntiationem veriti generalioribus utuntur appellationibus, quibus quid proprie ac re vera significetur, audientibus divinandum relinquunt. Cuius usus notissimum testimonium πανοῦργος est, quod nomen raro constat non in deteriorem partem usurpari et plerumque homini attribui a sordidis artibus parum abhorrenti. Simili igitur religione praepeditum chorum arbitror noluisse simpliciter aerumnosum dicere senem, ne hospes e diserta miseriae mentione dolorem ac pudorem conciperet.

πάμψυχος vocis, El. 841, duas explicationes scholiasta proponit diversas, quarum altera: «ὁ διασώσας πᾶσαν τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν» fere omnibus interpretibus merito probatur. Accedit autem ad argumenta ex ipsius loci indole ab Ellendtio prompta similium verborum analogia cum aliorum (εὔψυχος, μεγαλόψυχος, μικρόψυχος) tum maxime ὁλόψυχος adiectivi, quo Eustathius saepius utitur (ad Il. p. 52 extr., ad Od. p. 1901, 43. Op. p. 341, 27). Est igitur πάμψυχος, qui πᾶσαν ἔχει τὴν ψυχήν, h. e. qui integra est mente [126]). Attamen vereor, ne iusto severius scholiastam reprehenderint, qui alteram eius adnotationem: »πάμψυχος ἀνάσσει, ἀντὶ τοῦ πασῶν ψυχῶν ἀνάσσει» ut temerariam repudiaverunt et quae compositionis legibus prorsus vetaretur. Neque enim video, cur nullo modo πάμψυχος possit esse: πάσας τὰς ψυχὰς ἔχων vel potius κατέχων, h. e. omnium (mortuorum) animos (imperio suo) tenens. Illuminatur autem atque excusatur huius locutionis obscuritas apposito verbo ἀνάσσει, quo, qualis sit possessio epitheto expressa, luculentius indicatur [127]). Sed praestat altera illa interpretatio.

---

126) Miram argumentationem huic interpretationi obiecit Nauckius (Philolog. XII, p. 613).

127) Brevitatem igitur orationis habes ei haud dissimilem, qua verbis eundi adiectiva praedicativa ratione adici solent pro substantivis cum praepositionibus iunctis: cf. ἐφέστιος ἦλθεν (Hom.), φοιτᾷς ὑπερπόντιος (Soph.), ἐκτόπιος συθείς (Soph.), παράκτιοι δραμεῖσθε (Eur.) — v. Io. Schmidt. l. c. p. 25.

πάμπολις (νόμος), Ant. 614, non dubitarem pro lege accipere omnes urbes tenente, h. e. omnibus urbibus imposita, nisi consociare haec nomina et collocatione verborum et totius loci sententia prohiberemur. Abeo igitur in eorum partes, qui vocabulum illud ab Sophocle abiudicant, nec moror Ellendtii coniecturam (πάμπολιν), qui ut ab exitio vocem vindicaret, dictionem poetae obstrusit difficillimam et maxime incredibilem.

πάμμηνος (αἰών?), El. 851, vita quae omnes menses continet s. amplectitur, h. e. per omnes menses durans, longinqua [128]). Repetunt vocabulum Plutarchus (Mor. p. 936, A) et Manetho (4, 545), sed dicunt de plena luna, cuius lumine quae illustratur nox, ea ab Arato (189) πάμμηνις dicitur.

πολύκωπον ὄχημα ναός, multis remis instructum, Tr. 656; Eur. Iph. Taur. 981; cf. Homericum πολύζυγος.

πολύζηλος βίος, vita multorum s. variorum studiorum plena, O. R. 381. Eodem pretio vix ausim vendere τὸν πολύζηλον πόσιν, Tr. 185, ubi determinativa — per verbum ζηλοῦν — interpretatio simplicior est: multum amatus, desideratus. cf. nom. pr. Πολύζηλος et adiectivum πολυζήλωτος, Eur. Hipp. 169.

πολυαρμάτῳ Θήβᾳ, Ant. 149: multos currus habenti, h. e. arte ex curribus pugnandi inclitae. Quam Thebanorum priscorum virtutem ita admirati sunt poetae, ut similibus eam celebrare laudibus nunquam videantur destitisse. cf. εὐάρματος, Pind. Pyth. 2, 5; Soph. Ant. 836; φιλάρματος, Pind. Isthm. 1, 2, 20 (Θῆβαι); Eur. Herc. Fur. 467 (Θηβῶν).

τύμβος **ὀρθόκρανος**, excelsum caput s. cacumen habens, Ant. 1203, et **ὀρθόπους** [129]) πάγος, ib. 985, excelsum pedem habens, unam eandemque respiciunt metaphoram omnibus poetis maxime usitatam, illam, qua montes hominibus, partesque montium membris corporis humani adsimulantur. Hermanniana enim posterioris vocis interpretatio: «glacies firmiter concreta, ut sustineat insistentes» cum propria compositi significatione, ὀρθοὺς πόδας ἔχων, ita tantum conciliari potest, ut non de glaciei — quod absurdum est — sed de hominum cogitetur pedibus. Quod tamen quo iure fieri queat, praesertim cum nulla iniecta

128) Vocem delevit G. Wolffius; cf. adn. 53.

129) Proprio sensu id epitheton usurpavit Nicand. Al. 419: ὀρθόποδες βαίνοντες; cf. Greg. Naz. vol. 2, p. 10 A.

sit hominum mentio, mei quidem oculi hebetiores sunt quam quibus perspiciam. — Alia nec tamen longe dissimili translatione in fr. 31 (30) **ὀρθόπτερος** aut de loco aliquo altis montibus cincto [130]) dictum videtur esse aut de aedificio excelsis columnis velut alis circumdato. cf. μονόπτερος, Vitruv. 4, 8, 1.

ὀρθόκερως φρίκη, fr. 921 (793) ad similitudinem Aeschylei φοῖτος ὀρθόθριξ (Cho. 31) expressum esse a Sophocle iam veteres grammatici bene animadverterunt. Moris enim Graecis fuisse, ut capillos figurate κέρα appellarent, cum alii narrant tum, qui hunc locum memoriae prodidit, Pollux (2, 31) [131]). Est autem id compositum ex iis, quibus non tam possessiva quam causativa potestas videtur inesse, cum pro vulgari quidem cogitandi ratione erigere potius capillos horror dicatur quam ipse erectos crines habere. Nihilominus retinendam esse habendi notionem, probis argumentis demonstravit Clemmius (De compos., p. 169), cuius ad librum lectores ablegare malo quam ut ipse acta agere videar.

ὀρθόφρων, animum habens alte adsurgentem, fr. 922 (969). Adv. —ως Ephraem. Caes. 872, p. 23. ed. Mai.

στερεόφρων, durum animum habens, Ai. 928; cf. Od. XXIII, 103: «κραδίη στερεωτέρη ἐστὶ λίθοιο».

ταλαίφρων, Ant. 36. 866. 876. Ai. 903 (Eur. Hel. 524) eximium specimen est consilii ac prudentiae Sophocleae. Cum enim Homerica voce ταλασίφρων in animo poeta haberet uti, abhorrere autem a suorum iam civium loquendi consuetudine formam ταλασι sentiret, mediam quandam viam, qua et Homeri et suae aetatis mori obtemperaret, perquam feliciter iniit. An hoc ipsum ταλαι Sophoclem credis electurum fuisse, nisi tunc maxime temporis ταλαίπωρος, ταλαιπωρέω, ταλαιπωρία in omnium poetarum ore fuissent? [132])

130) Adstipulor enim illis, qui Hesychium ex Photio emendandum rati Hesychianorum codicum scriptionem mutilam: μεγαλώ. ους in μεγάλους κολωνοὺς mutarunt. Contrariam viam ingressus est Musgravius, cuius correctio «μεγάλους ὤμους» Ellendtii plausu approbata est.

131) cf. Hesych.: κορωνός: ὀρθόκερως ταῦρος. Apud eundem Hesychium et apud Eustathium etiam soluta forma ὀρθοκέρατος invenitur (s. v. ὀρθοκραιράων).

132) Ceterum de origine formae ταλαι multiplex virorum doctorum est

δεινόπους ἀρά[133]), terribilem pedem habens, terribili pede incedens, O. R. 418.

δολιόπους[134]), doloso pede incedens (Orestes), El. 1392.

κοινολεχής, communem torum habens, tori consors, adulter, El. 97; Eustath. 653, 35; Const. Man. Chron. p. 97, B. cf. κοινόλεκτρος, Aesch. Ag. 1404.

* ὁμολεχής, eundem torum habens, coniunx, O. R. 1362; cf. ὁμόλεχος, Apoll. Lex. Hom. p. 86; ὁμόλοχος Schol. Pind. Pyth. 8, 9.

ὁμόπτολις λεώς eandem urbem tenens s. incolens; conterraneus, Ant. 733; Plut. Mor. p. 276, B; Nonn. Dion. 4, 32; Io. 12, 90; Olympiod. ap. Stob. Fl. 11, 2.

ὅμαυλος, eandem sedem (αὐλήν) habens, i. e. vicina, fr. 19 (19) χθὼν vocatur ex metaphora illa Graecis mirum quantum accepta, qua non modo homines, sed etiam terrae et urbes ναίειν dicebantur. — cf. ὁμαυλία, Aesch. Cho. 592. — Idem vero αὐλὴ in γῆρυς ὅμαυλος, O. R. 186 latere vix crediderim Ellendtio adseveranti, alia cum ad manum sit explicatio et minus operosa et aliquanto venustior. Relegandum enim hoc ὅμαυλος duco ad illa de quibus p. 38. 39. verba fecimus obiectiva, maximam partem sonitum significantia. A verbo igitur αὐλέω potius id αυλος propagari velim, ut carmen denotetur, quod a ceterorum lamentis non discrepet, sed eundem quasi edens sonum bene cum iis concinat[135]).

στραβαλοκόμας, i. q. οὐλοκόμης, οὐλόθριξ, crispos capillos habens, fr. 948 (991).

Ἄρης δεξιόσειρος, Ant. 140, translate appellatur Mars, ut impetuosus deus validusque hominum adiutor; comparatur enim cum

dissensio: cf. Clemm. De compos. p. 11. 129. 164 et Curt. Stud. VII, p. 50; Schoenberg »Ueber griechische Composita, in deren ersten Gliedern viele Grammatiker Verba erkennen, Mitau 1868», p. 24 sqq.; Rich. Roediger «De priorum membrorum in compositis Graecis nominalibus conformatione finali, Lips. 1866», p. 13 sqq.

[133]) cf. Horat. C. I, 35, 13: (Fortuna) iniurioso pede.

[134]) Vocabula a δόλιος composita praeter hoc δολιόπους et *δολιόμυθος (p. 34) et Aeschylea δολιόφρων (Cho. 935) et δολιομήτιδες (?, Suppl. 720) et lexicographorum δολιόβουλος reperiuntur nulla; cetera enim a δόλος sunt omnia.

[135]) Facit mecum scholiasta: «ὁμόθρους, ὁμόφωνος» explicans.

equo τὴν δεξιὰν σειρὰν ἔχοντι. cf. praeter σειραφόρος, quod ex Aesch. Ag. 809. Seidlerus attulit, Eur. Or. 1017: «πιστότατος πάντων Πυλάδης . . . παράσειρος»[136]).

? μελάγχολος, atra bile tinctus[137]), Tr. 573. — cf. μελαγχολία et μελαγχολικός, ap. medicos, praesertim Hippocratem, μελαγχολάω, ap. Demosth., Platon., al., μελαγχολόω, ap. Polluc., μελαγχολώδης, ap. Alex. Trall. et Aret.

βαθυρρίζου δρυός, profundas radices habentis, Tr. 1195; Theophr. C. Pl. 1, 3, 4. H. Pl. 1, 7, 2. 3, 16, 1. 18, 9; Apoll. Rh. 1, 1199; Quint. 4, 202; Const. Man.

βαρύψυχος, depressum animum habens, Ai. 319, haud nihil ambigam num satis ab omni corruptelae suspicione defensum sit a Lobeckio, a quo quae adhibita sunt exempla, ea cum Seyfferto timeo ne parum efficiant. Ignaviae enim significationem, non tristitiae, flagitat locus. Plene autem eiusdem Seyfferti emendatio * βραχύψυχος mihi satisfacit.

εὐρύνωτοι φῶτες, latis tergis praediti, Ai. 1251.

ὠμόθυμος, durum animum habens, Ai. 885; Philo vol. 2, p. 15, 12; 543, 18. — Simmias in Ovo 19.

φυλλάδα μυριόκαρπον, innumerarum frugum plenam, O. C. 676.

ἰσαμέριος, pares dies habens, «per aequale tempus durans, pari longitudine vitae praeditus» (Ell.), fr. 520 (532. 533). — cf. ἰσημερία, aequinoctium, Plat., Aristot., Theophr., al.

μεγαλώνυμος Νίκα, augustum nomen habens, multum celebrata, Ant. 148; Aristoph. Nubb. 569, Vesp. 1519, Thesm. 315; Lucian. Lexiph. c. 13; Hymn. Orph. — cf. Hesych. s. v.

ἀθυρόστομος ἀχώ, ἄθυρον στόμα ἔχουσα, quae os habet velut claustro carens; loquax, Ph. 188. — Substant. ἀθυροστομία legitur ap. Paul. Sil. (6), Plut. (De pueror. ed. 14, p. 11, C), alibi; adv. ἀθυροστόμως, ap. Phot., Maron. Edess., al. — cf. ἀθυρόγλωσσος, Eur. Or. 903, ἀθυρογλωττέω, ἀθυρογλωττία ap. inf.

τελεόμηνος δωδέκατος ἄροτος[138]), duodecima sementis absolutos

[136]) Etiam propius ad vocis Sophocleae formam accedit, quamvis sententia diversa sit, Anacreontis illud:

δεξιὸν γὰρ ἱπποσείρην οὐκ ἔχεις ἐπεμβάτην. (fr. 79, 6 ed. Bergk.)

[137]) Amplector Hermanni interpretationem priorem, μελαγχόλους βάπτειν ἰούς pro μελαίνῃ χολῇ βάπτειν ἰούς (sagittas) dictum esse non dubitans.

[138]) cf. Eur. El. 1154 «δεκέτεσι σποραῖσιν ἐλθόντ'.»

menses habens, h. e. duodecim anni iusti ac pleni, Tr. 824; Aristot. H. A. 5, 4; Const. Man. Chron. 148 (τελειόμηνος).

De ὁλοστήμονος, fr. 919 (994) duplicem in modum ambigitur, primum, Sophoclisne a manu vocabulum profectum sit, tum, sitne tuenda quae libris exhibetur forma ὁλοστημόνους. Utramque quaestionem aliorum sagacitati relinquo solvendam. Neque enim Pollucis ex loco illo (7, 32), ubi hoc fragmentum exstat, quid grammatici sit, quid poetae, satis elucet; et Ellendtii Lobeckiique, virorum summorum, de scribenda voce controversiae prudens cavebo me immisceam. Ellendtio enim ὁλοστήμονας legi iubenti Lobeckius Paralipp. p. 202/3 ita obloquitur, ut non intolerabilem censeat formationem —μονους, et si omnino correctione opus sit, ὁλοστήμους praeferendum ducat, quemadmodum ἀραιόστημος dicatur et μανόστημος et πολύστημος.

ὀπὸν ἀργινεφῆ, fr. 479 (489), albas nubeculas habentem; cf. Homericum κελαινεφής.

κακοπινής, sordidus, Ai. 381 (κακοπινέστατον); Athen. 13, p. 565, E; Hesych. s. v. μόρμα.

ποικιλομήτιδες[139]) ἆται, i. q. ποικιλομήτης Homericum (nisi quod prius a μῆτις, alterum a μῆτος descendit), fr. 519 (530. 531).

καλλίβοτρυς νάρκισσος, O. C. 682, pulchras uvas habens. Intellegendi sunt cincinni florum «ad uvae similitudinem conglomerati» (Herm.). — cf. εὔβοτρυς, p. 79 et πολύβοτρυς, Hesiod., Simonid., Eur.

κελαινόρινες (μύρμηκες), nigris rostellis[140]) praediti, fr. 27 (26).

Copiosius necesse est disputemus de nominibus cum αὐτός pronomine copulatis.

Αὐθαίμων, τὸ αὐτὸ αἷμα ἔχων, consanguineus (frater), Tr.

[139]) De declinatione huiusmodi vocabulorum, quae poetis maxime frequentata sunt, exposuit Lobeckius Paralipp. p. 239 sqq.

[140]) Falso Papius et Passowius (lex. Gr. s. v.) vertunt «mit schwarzer Haut», ineptam sententiam ita defendentes, ut formationis anomaliam, metaplasmum, statuant. Nec magis a ῥινός repetendum est elephanti illud epithetou κελαινόρρινος (Opp. Hal. 5, 18; Nonn. Dion. 15, 158), quod item ad cutem interpretes referunt, quamquam non pellis colore atro, sed proboscide insolitum ac mirum adspectum praebente elephas a ceteris quadrupedibus distinctus est. Eadem autem forma in ος terminata cum Ellendtium commovisset, ut Sophocleum κελαινόρινες anadrome insigne esse diceret, facili eum opera profligavit Weickerus l. c. p. 20. 21.

1041; Lycophr. 1446. Ab hoc externa tantum forma differt, quod iusto omnium assensu Sophocli Bothius reddidit, *αὔθαιμος, O. C. 1078; Anth. Pal. 7, 702, 2; Antip. Sid. 15. Tertium αὐτός vocis cum αἷμα conglutinationis exemplum est αὐθόμαιμος, O. C. 336 (αὐθόμαιμοι νεανίαι, Eteocles et Polynices); Lycophr. 168. 222; Constant. Man. Chron. 1996. 2786. 6029. Quamquam cum ὅμαιμος potius pronomen αὐτός composuisse poeta dicendus est idque eodem modo, quo ipse supra (p. 75) adiectivum ἄ-θυρος cum στόμα compegit vel Homerus praeter κασίγνητος etiam αὐτοκασίγνητος nomine utitur. Ac Sophocleo quidem in loco quantum acerbitas orationis geminata cognationis significatione intendatur, neminem fugiet qui verba inspexerit. Tamen dubitandum, num ὅμαιμος compositum ut simplex tractare triaque vocabula in unum coniungere ausus esset Sophocles, nisi iam antea apud Aeschylum (Prom. 410) simillimum decompositum invenisset: ξυνομαίμων. cf. φιλαυθόμαιμος, Lycophr. 566.

Iam ad aliam αὐτός vocis significationem pergimus, de qua primus disseruit Matthiaeus (in lexic. Eurip. s. v. αὐτοσίδηρος). Notum est enim, quae pronomini illi insit vis excludendi ac segregandi, eam adeo interdum urgeri et quasi acui a scriptoribus, ut αὐτός paene idem valeat ac μόνος earumque rerum nominibus tribuatur, quae omni admixtione liberae, h. e. integrae, sincerae, purae sint. Hunc autem usum recordatus esse Sophocles est putandus, cum Phil. 35. αὐτόξυλον[141]) appellaret poculum, quod ex mero ligno constaret, i. e. totus ligneus esset (αὐτὸ ξύλον ἔχων = μόνον ξύλον περιέχων). Quem significatum sententiarum cursu docemur in deteriorem partem accipiendum esse, ut vas denotari credatur, quod rudi arte e ligno dolatum omni ornatu careat. — cf. μονόξυλος, Hippocr., Plat., Xenoph., al.

Cum αὐτόξυλος autem notionis similitudine bene congrueret, quod Hemsterhusius recentiorum editorum et lexicographorum cum approbatione communi fr. 133 (126) scribendum proposuit: *αὐτόλιθος, modo esset cur pro corruptis haberentur haec Pollucis verba: «Σοφοκλῆς δ' ἐν 'Ανδρομέδᾳ αὐτοχειλέσι ληκύθοις ἔφη, δηλῶν ἀλαβάστους μονολίθους». Verum enim vero sanam esse codicum memoriam intelleges, illius si memineris αὐτός vocis usus,

[141]) Vocem hanc Sophocleam in suum usum converterunt Apollonid. epigr. Anth. Pal. 235, 5; Strabo 11, p. 502; Constant. Manass. Chron. 3766.

ex quo earum rerum appellationibus, quae aliis rebus adiunctae esse expressius dicendae sint, pronomen illud apponitur, quo clarior fiat rerum inter sese oppositio. Rem ut brevi praecidam, illas dico loquendi formulas, quales exempli gratia sunt: ἀνόρουσεν Ἀχιλλεὺς αὐτῇ σὺν φόρμιγγι, ἡμεῖς αὐταῖς ταῖς τριήρεσι, ναῦς αὐτοῖς ἀνδράσιν. Quam dicendi consuetudinem ita secutos video poetas, ut vehementi quadam breviloquentia usi composita possessiva dativorum illorum vices gerere iuberent; velut ap. Lucianum (V. hist. 1, 40) αὐτόκλαδος (κυπάρισσος), h. e. αὐτοὺς τοὺς κλάδους ἔχουσα, fere idem est atque αὐτοῖς τοῖς κλάδοις, cupressus cum ipsis ramis, vel αὐτόπρεμνος de arboribus dicitur, quae una cum radi- cibus, i. e. radicitus, evelluntur[143]. Iam patet αὐτοχειλῆ illam dici ampullam, quae una cum labris ex uno lapide facta eam- que ob rem prae aliis sit pretiosa[143]. Liberius igitur vocabulum Sophocleum Pollux explicavit, neque ex eo, quod μονόλιθον grammaticus dixit, id cum Hemsterhusio colligere licet, ipsum «λίθος» nomen in composito illo conclusum fuisse. Lapidea enim esse vasa, ex iis verbis, quae loco nostro olim praecedebant, Pollux cognoverat, nisi forte in λίθοις, quod codex C. pro ληκύ- θοις praebet, duo occulto latent vocabula: ληκύθοις et lapidis (λίθου) qualiscumque significatio. Id num probabiliter disputatum sit adhuc dubitanti omnes scrupulos Hesychii glossa quaedam eximet, in quam si incidisset Hemsterhusius, non ausus esset abrogare Sophocli vocabulum, quo vix quicquam excogitare possit elegantius. Per idem enim illud μονόλιθος Hesychius aliud ex- planat vocabulum Sophocleo consimillimum, αὐτόκρανον vocari

[142]) cf. Od. IV, 615. 616 (XV, 115. 116):
δώσω τοι κρητῆρα τετυγμένον· ἀργύρεος δέ
ἔστιν ἅπας, χρυσῷ δ' ἐπὶ χείλεα κεκράανται.

[143]) Perperam Matthiaeus (lexic. Eur. s. v. αὐτοσίδηρος) secunda earum quas statuit classium verborum ab αὐτο — incipientium non consocianda con- sociavit. Discedens enim ab ea via, quam modo ingressus est et mox in tertia classe repetit, hic non id agit, ut prioris membri vim ac significatum accurate exploret, sed aliam in rationem subito delapsus totius compositi soluti formam spectat externam. Coegit enim Matth. in secundum ordinem illa composita omnia, quae si solverentur, dativi speciem asciscerent (αὐτό- χειρ = αὐτῇ χειρί, αὔτανδρος = αὐτῷ ἀνδρί, αὐτοετής = αὐτῷ ἔτει, al. Quo factum est, ut diversa dativorum genera vir doctissimus confunderet atque hunc potissimum αὐτός pronominis usum, de quo supra sermo fit, acu tan- gere omitteret.

scribens «τὸν μονόλιθον κίονα», h. e. columnam una cum capitello ex uno lapide sculptam[144]).

Restat de verbis cum αὐτο— coagmentatis αὐτόμοιρος, fr. 249 (230), quod cave eadem qua adhuc usi sumus ratione ex- planes. Nam huius vocis quam Hesychius exhibet interpretationem «μονόμοιρος», ea ita videtur esse intellegenda, ut homo significari putetur, qui eximia sorte praeditus ceteris hominibus antecellat. Quae quidem sententia elici illinc aliter non potest nisi ut sub- stantive pro genetivo possessivo, h. e. pro ἑαυτοῦ, membrum prius (αὐτο—) accipiatur. Ne multa, αὐτόμοιρος videtur esse, qui τὴν ἑαυτοῦ μοῖραν ἔχει, i. e. suam s. propriam, peculiarem, singularem sortem habet. — cf. αὐτοκέλευθος, quo nomine apud Nonnum et Tryphiodorum is appellatur, qui relictis aliorum hominum viis solitarios cursus petit.

§ 3.

Quorum membrum praecedens adverbium est.

εὐφαρέτρας, «pulchre pharetratus» (Ell.), Tr. 208; Arcad. p. 22, 18.

εὔλεκτρος, pulchrum lectum, concubitum habens s. praebens, Ant. 795 (νύμφας), Tr. 515 (Κύπρις); Maced. Anth. Pal. 5, 245, 8 (Κύπρις); cf. εὐλεχής (Κύπρις), Anyt. Anth. Pal. 4, 182.

? εὐάνεμος, bonum ventum habens, vento bene perflatus, Ai. 198, fr. 341 (341); Eur., Theocr., Pausan., al.

εὔλοφος, Ai. 1286, fr. 314a (316), bonam cristam habens, bene cristata (galea). De robusta cervice dictum epitheton invenitur apud Suidam, de animi patientia apud Lycophronem (v. 776); cf. Hesych. s. v. et Eustath. ad Il. p. 1313, 32. — cf. Aesch. Prom. 935: δυσλοφωτέρους πόνους et Eur. Tro. 303: δυσλόφως φέρει κακά.

εὔχρυσος (Πακτωλός) auro fecundus. Ph. 393.

? εὔπτερος (ὄρνις), bene alatus, O. R. 175; Eur., Aristoph., Aristot., Nonn., al.

[144]) Ceterum hoc quidem sensu non ita crebro in compositis usurpatum deprehenditur pronomen αὐτός, nec praeter αὐτόπρεμνος (Aesch., Soph.) et αὐτόκλαδος, quae supra memoravimus, et septem exempla Aeschylea, de quibus Todtius verba fecit p. 22, plus quattuor in lexicis reperies quae sine ulla dubitatione huc referas; sunt autem haec: αὔτανδρος (Ap. Rhod.), αὐτογλώχιν (Heliod.), αὐτόδερμος (Hesych.), αὐτόφλοιος (Theocr.).

εὔχλοος (Δημήτηρ), pulchram viriditatem afferens, O. C. 1600; Nonn. Io. c. 18, 5. Dion. 41, 15. — cf. ἄχλοος, Eur. Hel. 1327.

εὔρινος[145]), acres nares habens, sagax, Ai. 8; Opp. Cyneg. 2, 456. Hal. 4, 275; Aelian. N. A. 2, 15 et 6, 59. — cf. εὔρις, Aesch., Xen., Opp., al.; εὔριν, Poll., Tzetz.

? εὔκερως (ἄγρα), bene cornuta, Ai. 64. 298; Poll., Geopon., Mosch., Maneth., Nonn., al.

εὔβοτρυς (Πεπάρηθος), uvis, vinetis dives, Ph. 548; Nonn. Dion. 17, 82; Marian. Anth. Pal. 9, 668, 9; cf. εὐβότρυος (ἄμπελος), Anacr. 18, 7.

δύσμοιρος, miseram sortem habens, infelix, O. C. 327. cf. Homericum δύσμορος.

δύσοργος, in iram praeceps, iracundus, iratus, Tr. 1118, Ai. 1017, Phil. 507; Cyrill. adv. Iulian. 6, p. 185 D. — cf. δυσοργία, Hippocr.; δυσόργητος, Poll.; δυσοργησία Hippocr.

δύσαυλος (πάγος), pruina graves praebens vel reddens excubias (αὐλήν)[146]) seu ad pernoctandum gravis, inhospitalis, Ant. 356, fr. 84 (93).

δύσομβρος gravem imbrem praebens; Ant. 359: δύσομβρα βέλη, iacula quae ex gravi imbre constant, poetice pro βέλη κακοῦ ὄμβρου. At fortasse praeferenda est determinativa explicatio: βέλη κακῶς ὀμβρούμενα, h. e. quibus graviter pluit. — cf. εὔομβρος, Strab.

δυσάνεμος, «κακοὺς ἀνέμους ἔχων» (Hesych.), saevis ventis pulsatus[147]), Ant. 591; Apoll. Rh. 1, 593; Dionys. Perieg. 759; Orib. p. 231 ed. Matth.

δυσπάρευνος infaustam uxorem habens, Tr. 791: τὸ δυσπάρευνον λέκτρον, torus qui τὴν δυστυχῆ πάρευνον continet, h. e. in quo infausta uxor cubat; infaustum coniugium[148]). — cf. δυσευνάτορας δράκοντας, Aesch. Sept. 275.

---

[145]) cf. Ellendt. s. v. et Hermann. ad. l.

[146]) Antipatri Thess. (Anth. Pal. 9. 266) δύσαυλος (ἔρις) ab αὐλός descendit.

[147]) Accedo Linwoodio, qui δυσάνεμον (θῖνα) librorum in δυσάνεμοι (ἀκταί) mutavit.

[148]) Qui subsequitur genetivus «σοῦ τῆς ταλαίνης» tanquam explanandi epitheti gratia additus est. Lexicographi nostri parum accommodate ad locum: «infausto matrimonio iunctus», quasi nomen λέκτρον non positum sit et de ipsa muliere sermo fiat.

δυσπινής, foedi squaloris plenus, O. C. 1597; Aristoph. Ach. 426; Philostrat. V. Sophist. 2, 3, p. 567; Poll. 4, 117.

δυσαίων, miseram vitam habens, O. C. 150; Eur. Hel. 213, Suppl. 960; Lycophr. 314. 1075. — cf. εὐαίων, μακραίων, ap. tragg.

ἄλεκτρος, tori immunis, innupta, Ant. 917. El. 962. Posteriore loco pretium est commemorare sibi ipsam Electram hoc epitheton tribuere, quasi nomen suum cum vitae condicione congruere indicatura sit[149]). Ab his locis multum differt El. v. 494: ἄλεκτρ' (ἄνυμφα) γάμων ἁμιλλήματα, ubi ad infausti notionem detorta est ἀ privativi significatio: contentio de conubio nefandum concubitum (ac scelestum coniugem) praebente, licet non cum γάμων — cui nomini proprie conveniunt —, sed cum ἁμιλλήματα liberiore ratione consociata sint adiectiva. — Adoptarunt vocabulum Eur. Tro. 254 et Lycophr. 353[150]).

? ἄνυμφος, El. 1183, maritum non habens, innupta; de v. 494 v. voc. praeced. — Eur. Hec. 416. 612, Hipp. 548, Hel. 1125; Lycophr. 102; Menand. ap. Stob.; Mosch., Greg., Naz.

ἄσπλαγχνος[151]), enervis, ignavus, Ai. 472; Plat. ap. Athen. 14, p. 644, A; Galen.

ἀνήνεμος, ventorum expers, ventis non agitatus, O. C. 676 (φυλλάδα ἀνήλιον ἀνήνεμόν τε πάντων χειμώνων)[152]); Epigr. Isidor. Anth. Pal. 7, 293, 3; Plut. Mor. p. 713. F; Hesych. s. v. νήνεμος; al.

ἄχαλκος (ἀσπίδων), aere (clipeorum) carens[153]), O. R. 190; Greg. Naz. de Apostolis pecunia egentibus (= ἀχρήματος).

---

[149]) Ab ἄλεκτρος Electrae nomen deductum esse serio affirmant schol· Eur. Or. 71 et Aelian. V. H. 4, 26. Ceterum cf. Ai. 575 sqq.: Εὐρύσακες -σάκος; Ai. 430: αἰαῖ — αἰάζειν ἐμοί (sc. Aiaci); Vit. Soph.: παρετυμολογεῖ δε καθ' Ὅμηρον καὶ τοὔνομα τοῦ Ὀδυσσέως κ. τ. λ.. — cf. adn. 85. 86.

[150]) cf. Hesych.: ἄλεκτρος· ἀκοίμητος, quae glossa quemnam poetam respiciat, ignoratur.

[151]) Quae Blaydesius contulit vocabula cum σπλάγχνον composita: θρασύσπλαγχνος (Aesch.), μεγαλόσπλαγχνος (Eur.), ἀφοβόσπλαγχνος (Aristoph.), iis adde: ὁμόσπλαγχνος (Aesch.), κακόσπλαγχνος (Aesch.), εὔσπλαγχνος (Hippocr.), εὐσπλαγχνία (Eur.).

[152]) Apte M. Lechner («De Sophocle poeta Ὁμηρικωτάτῳ») conferri iubet Od. V, 478 sqq.

[153]) cf. Eur. Bacch. 736: χειρὸς ἀσιδήρου μέτα, manu non armata ferro.

ἄνορμος (ὑμέναιος)[154]), (coniugium) portum (tutum), h. e. felicitatem non praebens, O. R. 423. — cf. Aeschyleum δύσορμος et Homericum εὔορμος.

ἄπλουτος, inops, fr. 718 (751); Theophr. ap. Plut. (Mor. p. 527, B: ἄπλουτος πλοῦτος); Plut. Mor. p. 354, A. 679, B. Lycurg. c. 10; al.

*ἀφάρμακον[155]) χρῶμα (οἰδίποδος), pallidum[156]), «ἄνευ ἄνθους» (Hesych.), fr. 956 (1001).

*ἀβόρβορος[157]), limo vacuus, fr. 336 (337).

ἄδημος, populo s. patria carens, h. e. peregrinans, exquisite Sophocles dixit pro ἔκδημος vel ἀπόδημος, fr. 566 (577).

ἀσκέπαρνον βάθρον, O. C. 101, addubito num satis recte ab Ellendtio explanatum sit: «rudi opere confectum». Totum enim locum qui accuratius consideraverit, non iam de lapide, in quo Oedipus (v. 19) consederat ἀξέστῳ sibi persuadebit fieri sermonem, sed de universo luco deabus consecrato, cuius neque arbores neque solum securi laedere fas erat. Videtur igitur ἀσκέπαρνος significatu cognatum esse voci ἄθικτος, quae v. 40 legitur, vel adiectivo ἀδρέπανος, fr. 804 (888), quod Hesychius explicat: ἄδρεπτον, θεοῖς ἀνακείμενον. Quod autem securi aut falce vacua ea dicuntur, quae non tacta sunt his instrumentis, id ne tanquam insolens mirationi cui fiat, hoc unum moneo, ne Homerum quidem veritum esse vasa igne nondum nigrata (ἀπύρωτα, Il. XXIII, 270) vocare ἄπυρα (Il. IX, 122; XXIII, 267).

ἀνόμματος, oculis, h. e. oculorum usu carens, Philoctetae dormientis appellatio, Ph. 856; Plat. Alcib. 1, c. 19; Fragm. Orphic. ap. Proclum; Nonn. Io. c. 9, 10. — cf. Aesch. Eum. 380: δερκομένοισι καὶ δυσομμάτοις (vivis et mortuis).

ἀπεσκῆ (τόξα), fr. 552 (563), sagittae ex receptaculo (πέσκος) expeditae.

ἀσήμων, i. q. ἄσημος, obscurus, O. C. 1668.

ἀπαιών paeane destitutus, fr. 469 (478) et ἀνυμέναιος, hymenaei expers, O. C. 1221, mortis epitheta, quam huiusmodi

[154]) cf. Eur. Cycl. 349: ἀλίμενον καρδίαν.

[155]) Sophocli vocem adiudicavit Dindorfius, abiudicarunt Nauckius et Ellendtius (s. v. φαρμακών).

[156]) cf. Horat. Carm. III, 10, 14: tinctus viola pallor amantium.

[157]) Sic felicissime correxit Blomfieldius; libri inepte: ἀβάρβαρον.

opprobriis onerare Graecorum poetae nunquam destiterunt. Posterius vocabulum, quod ab Sophocle assumptum Euripides quater posuit, Iph. Taur. 856, Hec. 416, Herc. F. 834, Phoen. 347, tribus praeterea locis de Antigona et Electra dicitur caelibem vitam suam deplorantibus, Ant. 876. 917. El. 962.

ἀγύναιξ[158]), non habens uxorem, fr. 5 (4).

αἰένυπνος, (mors) aeternum soporem afferens, «in aeternum consopiens», O. C. 1578. — cf. Aesch. Ag. 1414 sq.: μόλοι τὸν αἰεὶ φέρουσ' ἐφ' ἡμῖν Μοῖρ' ἀτέλευτον ὕπνον.

ὑψίποδες in O. R. 866 νόμοι appellantur, quia caelestibus orti excelsis quasi pedibus per terram incedunt[159]) ac «sublimi feriunt sidera vertice». Alterum vocabulum ab ὕψι compositum, ὑψίπολις, Ant. 369, quomodo extricandum sit, post multas et varias dubitationes parum adhuc statutum cum animo habeo. Nam quod in aliis nominibus cum ὕψι copulatis fieri cernimus, ut hoc adiectivi munere suscepto subsequentis membri notioni attributive sese applicet, idem hic statuere loci indole prohibemur, quippe quae hominem intellegendum esse videatur docere in urbe summum s. honoratissimum. Illa vero significatio ut progignatur, non reperio aliam rationem nisi obiectivae explanationis adhibendae: ὑψόθεν ὢν τῆς πόλεως[160]), h. e., ut cum scholiasta loquar, ἐν τῇ πόλει ὑψηλός.

χαμαικοίτης, Tr. 1166, cognomen τῶν Σελλῶν, eandem de formatione mihi iniecit dubitationem ac παγκοίτης (p. 31). Significatio vocis patet ex Hom. Il. XVI, 235, ubi idem sacerdotes χαμαιεῦναι dicuntur.

§ 4.
Quae ex numerali et substantivo constant.

δίλοφος (πέτρα), biceps, Ant. 1126; cf. Eur. Bacch. 307: δικόρυφον πλάκα.

? δίστομος, Ph. 16: πέτρα, saxea spelunca binos exitus habens; de δίστομαι ὁδοί, O. C. 900, v. p. 86. — Eur. Hel. 983 (ξίφος),

[158]) Cum totius loci sententia cf. Il. IX, 63:

ἀφρήτωρ ἀθέμιστος ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος.

De nominativo in αιξ terminato v. Lobeck. Phryn. p. 185 et 659 et Paralipp. p. 278.

[159]) cf. Pind. Nem. X, 87: ὑψίβατοι πόλιες.

[160]) cf. Boeckhii interpretationem: «auf der Höhe des Staates.»

Or. 1303 (φάσγανον); fr. Meleagr. ap. Macrob. Sat. 5, 18; Polyb., al. — cf. Hesych. s. v.

διχόστομον πλᾶκτρον (δορός), bipenne, fr. 164 (157)[161].

τρίκρανος (σκύλαξ), triceps (Cerberus), Tr. 1098; Eur. Herc. F. 611. 1277[162]). — cf. τρικάρηνος, ap. Hesiod., Herod., al., et Τρικάρανον, nomen promunturii cuiusdam.

τρίγομφος, fr. 295 (293) subditicium esse Lobeckius (ad Phryn. p. 178) mihi non persuasit[163]). In promptu enim est suspicio triadem Sophoclem posuisse incertam multitudinem significaturum ac quantamlibet. Quod si statuitur, Sophocleum τρίγομφος et Aeschyleum πολύγομφος (Pers. 72) et Euripideum εὔγομφος (Iph. T. 1286) in unam sententiam redeunt.

τριολύμπιον ἅρμα, fr. 461b (467), quid sit, cum Eur. Andr. versus 275 sqq. ostendunt, quibuscum verba Sophoclea scholiasta contendit, tum haec glossa Hesychii: τριολ. ἅρμα· τὸ ἐκ τριῶν Ὀλυμπιάδων ἐζευγμένον. Neque enim proprie intellegi poeta voluit ἅρμα, sed «ea similitudine, qua saepius complures personae artiore quodam vinculo coniunctae cum iugo vel cum curru comparantur»[164]). Est igitur coetus tres deas continens s. ex tribus deabus compositus[165]).

τετράπτερος, fr. 27 (26) quaternis alis praedita (formica); Aristot. H. A. 1, 5; De partt. an. 4, 6. — cf. τετραπτερυλλίς, Aristoph. Ach. 871.

πεντέγραμμα (πεσσὰ), abaci quinque liniis distincti, fr. 381 (393). Hanc vocem non mirum est in cotidianum usum hominum posteriorum abisse.

ἑπτάλογχον στόλον, agmen septem hastas (ducum) habens, ex septem vexillis constans, O. C. 1305.

---

[161]) Sophoclis locum esse negant Dobraeus et Heathius.

[162]) Mire hic locus cum Soph. Tr. 1098 congruit.

[163]) Locus misere perturbatus ita fortasse in ordinem est cogendus:

ἐνήλατα τρίγομφα διατόρευε σύ
σύνδει τε . . . . ξύλα,

h. e.
scapos scalae ternis clavis perfora
et constringe . . . ligna.

[164]) Sunt haec verba Ioannis Schmidtii (p. 29), qui ex Eur. Phoen. 329 attulit ἀπήνην ὁμόπτερον, iugum fraternum (Eteoclis et Polynicis).

[165]) Cetera loci verba lacera sunt ac mutila, nec tamen adeo, ut de ludis Olympiis cogitare liceat cum Weickero (l. c. p. 7), qui (collato Pindarico τρισολυμπιονίκας) vertit: «currus ter Olympiae victor.»

ἑπτάβοιον σάκος, «septem coriis bovillis contectum», (Ell.), metri necessitate urgente Sophocles videtur dedisse Homerici ἑπταβόειος in vicem, Ai. 576. — cf. eiusdem Homeri ἐννεάβοιος et ἑκατόμβοιος, quae tamen vocabula semper de ipsis animalibus, nunquam de pellibus eorum usurpantur.

Reliqua possessiva ex numeralibus et substantivis conflata ad πολυθρύλλητον illud pertinent epithetorum genus, quibus fecunda quaedam ac florida orationi additur ubertas pedestris sermonis simplicitati ieiunae prorsus negata. Poetae enim, qua sunt liberalitate, saepissime non id satis habent enuntiasse, quod necessarium est ad loci sententiam, sed oblectandis etiam animis auditorum consulentes notiones amant adicere, quae quamvis quodam modo abundent, tamen rebus evidentius depingendis egregie inserviant. Quam dicendi copiam Schneidewinus (in comment. ad Aiac. v. 390) subtiliter animadvertit in numeris potissimum significandis locum habere, quos, cum nudi aliquid ac frigidi ipsorum notionibus insit, plenioris sensus cum vocibus solere ait compingi. Eam vero materiam cum summi iam pulchritudinis aestimatores semel et saepius sibi sumpserint tractandam, haec pauca praemonuisse satis duco, ad singula exempla producenda — ut decet — festinans.

οἰόζωνος, unam zonam gerens, O. R. 846: ἄνδρ' ἕν' οἰόζωνον, h. e. «μονόστολον (Hesych.), qui solus inter facit, vel simplicius: solum, solitarium[166]).

πύλας ? ἑπταστόμους, fr. 778 (701)[167]) contendere iuvat cum ἑπτάπυλον στόμα, Ant. 119, quod inversam exhibet eorundem substantivorum collocationem. Ac priore quidem in loco de singulis potissimum portis cogitatur, ex quibus unaquaeque cum ore comparatur, sic ut compluria ora habere urbs dicatur. Verum altera locutione non singula singulis portis adscribuntur ora, sed cunctae portae in unam cogitationem comprehensae unum os dicuntur efficere. Itaque planum est, excelsiorem et

---

[166]) Apte cum his verbis Schneidewinus comparavit Hermes. ap. Ath. 13, p. 597, C: μονόζωστος Ὀρφεύς et Eur. Hel. 1128: μονόκωπος ἀνήρ (Fix: «vir uniremis, solitarius navigans»). cf. Io. Schmidt. l. c. p. 51.

[167]) Ellendtio Θήβας ἑπταστόμους iungenda, τὰς πύλας autem adverbialiter sumendum esse praecipienti non magis oboediendum est quam Brunckio «ταῖς πύλαις» scribi iubenti. Est enim τὰς πύλας ἑπταστ. ut appositio urbis nomini additum.

magnificentiorem imaginem procreari posteriore loco, ut quo vastum totius urbis ambitum uno quasi puncto temporis cogamur animo effingere universasque illius portas violento quodam mentis impetu in unum coniunctas pro ore habere urbis tanquam unius personae. — cf. Eur. Suppl. 401: ἑπταστόμους πύλας, v. 1221: ἑπτάστομον πύργωμα, Phoen. 287: ἑπτάστομον πύργωμα, Bacch. 919: πόλισμ' ἑπτάστομον; Nonn. Dion. 1, 242. — cf. Aesch. Sept. 267: ἑπτατειχεῖς ἐξόδους.

ἑκατόμποδες[168]) Νηρῇδες, O. C. 718, viris doctis vel maiori stupori videntur fuisse, quam beatis priscae illius aetatis nautis, quibus ut conspicerent has deas benigno fato contigerat. Merito autem Lobeckii et Ellendtii irrisionem passi sunt, qui «putida in pedibus computandis adhibita diligentia» de quinquaginta Nymphis cogitarunt, quo vix quicquam est insulsius. Alii nimis parce singula crura in deas singulas discripserunt ac quot pedes totidem puellas significari arbitrati sunt, ut Musgravius, Reisigius, Elmsleius. Verum vidisse mihi exploratum est Hermannum, qui calculis plane abiectis generaliter catervam quantamlibet intellegendam docuit; absurdum enim esse recte ille dicit «rei certum numerum habentis, ut pedum, numerum certum indicare, qui non sit huius, sed alius rei numerus»; quare liberius numerum centenarium pro infinito numero sumi multipedesque Nereides dici vult vir egregius. Est autem — quantum video — insolentia huius dictionis maxime in eo sita, quod epitheton globo rerum iunctarum proprie conveniens de partibus ponitur, ex quibus ille conflatus est; id quod fecisse poetam manifestum est eo confisum, neminem fore, qui de singulis gregis personis adiectivum prave intellegeret. Unde liquet, quo iure ab eodem Sophocle binae viae, quorum ostia in unum locum concurrant, O. C. 900 δίστομοι appellentur (cf. δίστομος πέτρα, p. 83). Neque alia in causa est inclitum illud πυκνόπτεροι ἀηδόνες, O. C. 17, pro quo si πυκνόπτερος ἀηδόνων ἑσμὸς poeta scripsisset, nemo profecto exstitisset, qui — ut Ellendtius — «densum plumarum tegmen» spectari putaret. Sed valde probanda est Hermanni interpretatio: «crebrae volitantes» vel Wunderi «πυκναὶ πτεροῦσσαι», modo ne ex contractione duorum horum verborum natum compositum esse

[168]) cf. ἑκατόμποδος, Hom., Thuc., et ἑκατόμπεδος, Pind., Plut.

cum Wundero credas — id quod naturae compositionis prorsus adversatur — sed illud teneas, ex alarum multitudine (πυκνοῖς πτεροῖς) de ipsarum avium copia poetam voluisse coniecturam fieri ab auditoribus.

§ 5.

His perlustratis, ut propositum erat, ad spinosiora quaedam descendimus exempla, quae primo quidem adspectu possessivam interpretationem recusare videntur, quamquam, intentius si in rem penetraveris, in eo ipso robur orationis poeticum positum cognosces, quod poeta possessivae potestatis composita — quae nescio quid habent lenti atque indeclinabilis — isdem atque alia adiectiva subiecerit variandi atque immutandi sensus proprii rationibus. Respicio inprimis translationem epithetorum, de qua, ne in superioris disputationis vestigia incurram, ea hic relegantur velim, quae p. 66 sqq. exposita sunt.

Ducat exemplorum gregem

1. πολύκερων φόνον, Ai. 55, quod quantam quasi viam permensum sit, donec huc audaciae pervenerit, post ea, quae modo dicta sunt, haud nimium negotium est ostendere. Illinc enim patet, opinor, licuisse Graecorum poetis, quamvis a nostro sensu id abhorreat, boves, etsi sunt bicornes, certis quibusdam sub condicionibus et certo quodam intellectu multicornes vocare. Hoc concesso — quod frustra Lobeckius infitiatus est — dic, quaeso, num πολύκερως φόνος longius distet a θῆλυς φόνος (Eur.), ὅμαιμος φόνος (Aesch.), πατρῷος φόνος (Soph.), μήλειος φόνος (Eur.), sim., ubi quae caedi adiuncta sunt epitheta, ea nemo non videt de caedendis potius dicenda fuisse hominibus vel pecudibus[169]).

[169]) Alia ratione Io. Schmidtius (l. c. p. 19) difficultatem conatus est expedire; qui postquam p. 18 id demonstravit, «nominibus collectivis tribui solere epitheta, quae a singulis, quibus continetur multitudo, membris petita essent (θηλυγενὴς ὄχλος, Eur., εὔκερως ἄγρα, Soph.)», p. 19 sic pergit: «sic ut grex numerosus dici potest multicornis, i. e. bestiis corniferis repletus, sic etiam voci φόνος hoc epitheton convenit, cum stragem, i. e. multitudinem caesorum significet et vim nominis collectivi habeat.» Idem si etiam contrarium interdum accidisse animadvertisset, sc. ut epitheton ad nomen collectivum quadrans partibus multitudinis coniunctis adsignaretur, φόνος substantivo veritus esset supponere notionem illam, quae quamvis alioqui proba sit, hoc certe loco plane abnuenda videtur. Clamat enim verbum

2. Subsequatur δύστεκνον παιδουργίαν, O. R. 1248, quod ut commodius explanetur, nolim ita praecidere rem, ut actionis nomen pro personae nomine (παιδουργόν, genetricem) positum esse simpliciter dicam. Nam poeticus verborum color haud dubie in eo potissimum consistit, quod poeta personae significatione suppressa ipsam actionem vel potius munus personae ipsum tanquam fontem et originem malorum commemoravit; unde sequitur, parum fructus locum istum fundere, si quis figura dictionis semota de sola persona Iocastae cogitet, quasi poetae verba correcturus. Retinenda igitur est princeps ac vera παιδουργίας notio, idque ita, ut προσωποποιίαν poeta putetur instituisse; quae licet ad liquidum et — ut dicam quomodo possim — ad maturitatem non sit perducta, tamen obversata certe animo illius est obscurius. Cadit autem, si in ullum, in hoc compositum praeceptum illud, quod de genetivi et adiectivi differentia homines docti proposuerunt: genetivus, aiunt, notionem exprimit substantivo, ex quo suspensus est, fortuito et extrinsecus additam, epitheton qualitatem eidem rei velut natura inditam atque innatam. Itaque genetivum (δυστυχῶν τέκνων παιδουργίαν) si poeta posuisset, id unum significasset, miserorum liberorum matrem Iocastam esse, non simul illud, communem stirpis maculam eandemque calamitatis causam omnibus feminae liberis fato insitam esse [170]).

3. Alia eaque aliquanto mitiore metaphora Sophocles, quod hominum proprium est, in actum vel statum potius eorum detulit, cum El. 1104. Orestes et Pyladis et paedagogi adventum κοινόπουν παρουσίαν appellaret, cuius loci granditas verbosa Eur. Phoen. versibus 1327/28:

βέβηκ' ἀδελφὴ σὴ δόμων ἔξω, Κρέον,
κόρη τε μητρὸς Ἀντιγόνη κοινῷ ποδί

opportunissime illustratur. Quod autem Sophocles, quod virorum est, id praesentiae eorum dedit, id sat consuetum Graecorum poetis fuisse cum alii tum hi loci testantur: Eur. Alc. 606: ἀνδρῶν εὐμενὴς παρουσία et Hec. 66/7: σπεύσω βραδύπουν ἤλυσιν,

---

κείρειν, unde accusativus φόνον pendet, ut pro ipsa caedendi actione hoc nomen accipiatur. cf. quem supra citavimus locum Euripideum: θύσω φόνον γε θῆλυν (Bacch. 796) et Wund. Cens. Aiac. Lob. p. 71.

[170]) cf. δυστεκνία, Maneth. 2. 179; 3, 26; 6, 239 (pro ἀτεκνία) et εὔτεκνος, Aesch., Eur., Xen., Plut., al.

quibuscum digna sunt quae conferantur Sophocleum κοινόπλουν ὁμιλίαν (v. p. 11) et Aristophaneum (Eccl. 110) γυναικῶν θηλύφρων ξυνουσία.

4. Compositum cum ποὺς viam nobis monstrat ad vocabula cum χεὶρ copulata, ἀδικόχειρ et ἀριστόχειρ, quorum prius e sententiarum nexu evulsum ad memoriam nostram pervenit, fr. 803 (887), alterum ἀγὼν nomini subiunctum in Ai. v. 935 invenitur [171]).

Inest utique harum notionum consociationi dura quaedam atque aspera dictionis violentia, in qua tamen nimis stupere desinemus instituta hic quoque inquisitione, quibusnam quasi gradibus ad istam loquendi arduitatem poeta paulatim ascenderit. Scatent enim Graecorum carmina metaphorae illius exemplis, qua, quae certantium propria sunt, certamini delegentur; nec, unde orta sit haec dicendi ratio, obscurum est aut absconditum. Nam spectator Graecus, cuius animus in pugnatorum superbum ingressum, speciem magnificam, celeres motus totus intentus fuerat, mox, cum spectaculum memoria repeteret, facere paene non poterat, quin omnia ludi — ut ita dicam — momenta in unam imaginem confunderet individuam. Unde evenit, ut poetae virtutem aliquam omnibus litis consortibus communem in totam eorum turbam indeque in turbae certationem transferrent, cuius imago cum multitudinis imagine artissime cohaerens ipsa quodammodo pro notione collectiva valet. Hinc profectae existimandae sunt locutiones illae: ὠκύπους ἀγών, El. 699, ῥιμφάρματοι ἅμιλλαι, O. C. 1062, τετρασκελὴς κενταυροπληθὴς πόλεμος, Eur. Herc. F. 1272, aliae, quas in adnotationis [172]) loco placuit collocare. Eam autem dicendi consuetudinem cum diutius poetae secuti essent, licentiae, qua ex concesso utebantur, sensim propagare coeperunt terminos: iam etiam illud, quod quisque quidem eorum, qui in carceres

---

[171]) Repetivit hoc vocabulum Tzetz. Epist. 80, p. 74.

[172]) cf. τεθρίππους ἁμίλλας, Eur. Hel. 386; χαλαργοῖς ἁμίλλαις (p. 30); οἰνοπλανήτοις ἁμίλλαις Eur. Rhes. 363; δύσαυλος ἔρις (adn. 146); γηγενὴς μάχη, Eur. Cycl. 5, Ion. 987; ἀλλοεθνὴς πόλεμος Dionys. Antt. V. c. 5 (v. Lobeck. Ai. 55); νεῖκος ξύναιμον, Antig. 793; παγκόνιτα ἄεθλ' ἀγώνων (p. 14). — His adde locos, ubi ἅμιλλα metaphorice pro studio seu cupiditate posita est (I. Schmidt, l. c. p. 28): ἅμιλλαν πολύτεκνον, Eur. Med. 557; φιλόπλουτον ἅμιλλαν, Iph. Taur. 411; ἄλεκτρ' ἄνυμφα ἁμιλλήματα (p. 81); νυμφιδία ἅμιλλα, Eur. Hipp. 1140; (αὐτοσίδαρον ἅμιλλαν, Eur. Hel. 356).

descendunt, opinatur sese habere, nec tamen re vera plus unus habet, summum dico virtutis gradum et praestantiam, tanquam attributum certamini commodare ausi sunt. Itaque factum est, ut ἀγὼν ille, quo περὶ τῆς ἀρίστης χειρὸς agitur, ipse ἀριστόχειρ ab Sophocle diceretur. Hoc quamvis eos fines, quibus nostri poetae sermonem nostrum circumscribere solent, longe excedat, tamen tantum abest, ut Graeci idem senserint, ut etiam audaciora admiserint; ut Pindarus Pyth. 5, 39. praemium aurigae victori destinatum non verecundatus est ingenti breviloquentia ἀρισθάρματον γέρας vocare. Omnino autem monendum, multo magis quam nos compluribus imaginibus in unum contractis laetatos esse auditores Graecos, multo magis gravisos esse eiusmodi aenigmatis solvendis, multo magis indulsisse labori tali ludicro, in quem cum mentis suae acumen intenderent, paene sibi ipsi videbantur verba fingere nova neque adhuc audita. [173]).

5. Reliquum fecimus illud possessivorum genus, quae notione τοῦ ἔχειν in angustiores fines compulsa id indicant, quo quid continetur vel in quo quid positum est, quaeque ad significatum τοῦ εἶναι non nihil accedunt [174]). Poteramus hucusque reservare nonnulla eorum, de quibus supra locuti sumus, exempla, ut δύσομβρα βέλη, σίτοισι παγχόρτοισιν, ἑπταστόμους πύλας, nisi ea tantummodo visum esset hic collocare, in quibus possessionis notio solito magis declinata esset ac paene exstincta. Sophocleum huc pertinet unum: Neptuni δῶρον (εὔιππον, εὔπωλον), εὐθάλασσον [175]), O. C. 711, donum quod consistit in mari opportuno, i. e. donum prosperae navigationis seu navigatio prospera ipsa a deo donata.

§ 6.

Derivata.

εὐορνιθία, faustum augurium, fr. 881 (941). — εὔορνις, Dionys. Antt. 2, 73.

*δυσομβρία, gravis imber, Nauckius dubitanter legendum proposuit in fr. 483 (493).

?ἀκληρία, inopia, fr. 816 (895); Polyb., Diod., Poll., Suid., al. — ἄκληρος creberrimum.

[173]) cf. Benloew. l. c. p. 15. 16.

[174]) Exempla collegit Io. Schmidt. l. c. p. 19.

[175]) Idem vocabulum occurrit Philostr. Vit. soph. p. 56, 26, Kays. et Alcphr. Ep. 2, 4, p. 326, 73.

παγκληρία, universum patrimonium, fr. 774 (829); Eur. Suppl. 14, Ion. 814; Lycophr. 592. 983. 1474. — πάγκληρος Eur. Ion. 1542.

πανσαγία, i. q. πανστρατιᾷ, Ant. 107. — cf. synonyma πανοπλία, παντευχία (Aesch., Eur.) et Aesch. Ch. 554: παντελῆ σάγην ἔχων.

συγχορδία, chordarum compages, fr. 361 (375); Aristox. Harm. p. 22 med. — σύγχορδος Hesych. s. v. ἀντίχορδα.

ὁμευνέτις, tori consors, uxor, Ai. 501, ductum ab ὅμευνος, quod exstat ap. Nicandr. (Th. 131) et Maneth. 3, 148. 199. — cf. ὁμευνέτης, Eur., Lycophr., ὅμευνις, Lycophr., συνευνέτης, συνευνέτις, Eur.

Caput V.

De nominibus ex praepositione et substantivo compositis.

Nominum cum praepositionibus copulatorum bipartitus est ordo: referenda enim est praepositio aut ad id ipsum substantivum, quocum in unum vocabulum illa coaluit, aut aliam ad notionem aliquam extra ambitum compositi quaerendam. Prius si usu venit, obiectiva nascuntur; veluti πρόναοι arae dicuntur, quae sunt πρὸ ναοῦ. In altera classe cum eius rei, quo praepositio spectat, non fiat mentio, vocula illa, quam principio obtinebat potestatem adverbialem, eam denuo occupat. Duo autem distinguenda hic sunt compositionis genera, determinativum et possessivum, quae in ea re inter se consentiunt, quod adverbium adiectivi locum obtinens attributiva ratione substantivo subiungitur, eo tamen differunt, quod totius compositi significatus sui iuris est illic, hic alienae notioni eodem modo obnoxius, quo cetera classis possessivae exempla. Sic cum σύνδουλος sit, qui σὺν ἄλλῳ τινὶ δοῦλός ἐστιν, h. e. servus socius, ἀμφίαλος ea vocatur terra, quae ἀμφιτέρωθεν ἅλα ἔχει. Atque ne disperse et diffuse proferrentur, quae eadem praepositione instructa similitudinis prae se ferunt speciem, haec omnia unum sub adspectum subicere maluimus [176]), quam instituta commentationis dispositione religiosius servata suo loco enumerare omnia.

[176]) Sequor in hac re Todtium (p. 30 sqq.).

Determinativae classi unum exstat vocabulum quod certo arbitrio adnumerari possit: ξυν-ναυβάται, nautae consociati, Phil. 565; nam quae praeterea huc spectare videntur, ξυμπα-ραστάτης, Phil. 675 (Aristoph. Ran. 326; Ioseph. Ant. I. 7, 7, 1., Poll. 6, 158; Himer. Ecl.) et ξυνασπιστής, O. C. 379 (Antip. Thess. Anth. Plan. 184, 1; Appian. ap. Suid.; Gregor. Nyss.; Poll. 1, 152. 7, 155), haud operosius a verbis ξυμπαρ-ίστημι et ξυνασπίζω repetuntur, quam a nominibus παραστάτης et ἀσπιστής cum praepositione ξύν coniunctis. Itaque duo tantum tractandi restant ordines: obiectivus et possessivus.

ἄγχι.

Praeverbium ἄγχι in uno vocabulo comparet, quod est obiectivum: ἀγχιτέρμονες[177]) πάγοι, prope fines siti, vicini, fr. 349 (352); Eur. Rhes. 426; Xen. Hier. 10, 7; Lycophr. 729; Theodect. ap. Strab. p. 1019. — v. Hesych. et Suid. s. v.

ἀμφί.

Obiectivum unum invenitur: ἀμφίλοφον ζυγόν, Ant. 351, iugum cervici (equorum) circumpositum, quod non debebat sollicitari ab interpretibus; nam quamvis ceteroqui manifesto corruptus locus sit, hoc ipsum certe vocabulum nec sensu nec metro nec ulla codicum discrepantia vitii arguitur. — cf. στρεπτὸς περιαυχένιος, Herod. 3, 20 et ἐπαυχένιον ζυγόν, Pind. Pyth. 2, 172. — Possessiva haec occurrunt: ἀμφικίονας ναούς, templa quae undique columnas habent, undique columnata, Ant. 285. — cf. περικίονας ναοὺς, Eur. Iph. T. 405 et fr. 370 (περικίοσι θαλάμοις). — ἀμφίπρυμνον πλοῖον, «ἑκατέρωθεν πρύμνας ἔχον» (Hesych.), fr. 135 (128); Menand. p. 405, 19; Agath. Hist. 5, 22, p. 168, A. — ἀμφίπυρος, Ai. 1405, igne cinctus, tripodis epitheton, quem Homerus Il. XXIII, 702 ἐμπυριβήτην vocat. Eadem appellatio mutato significatu Trach. 213. Artemidi attribuitur, quae ut dea lucifera binas taedas manibus gestat[178]). — cf. Eur. Hipp. 559: βροντᾷ ἀμφιπύρῳ, Hec. 473: ἀμφιπύρῳ φλογμῷ, Ion. 213.

[177]) Weickerus (l. c. p. 20) conferri iubet ἀγχιγείτων (Aesch. Pers. 874) et ἀγχίπτολις (Aesch., Soph.), quibus adde, quod Hesychius affert: ἄγχορος (ἀγχούρους· γείτονας).

[178]) Conferre solent interpretes Aristoph. Ran. 1362: διπύρους ἀνέχουσα λαμπάδας.

κεραυνὸν ἀμφίπυρον. — ἀμφίλινος, fr. 43 (41), quod per λινόδετος interpretari Ellendtius non dubitavit, vel a metro corruptelae videtur convinci. Namque cum cetera loci verba trimetri cursui bene congruant, unum ἀμφίλινα numeris iambicis repugnat. Quare posteriorem partem versus sic emendandam puto:

ἀμφὶ μέλινα κρούπαλα.

ἀντί

cum nominibus haec obiectiva progignit: ἀντίπλευρος κῆπος, fr. 19 (19), pars Atticae Euboeae oris contraria. In reliquis translato sensu praepositio adhibita est: ἀντίλυρον (καναχάν), lyrae respondentem, cum lyrae sono conspirantem, Tr. 642. (schol.: ἰσόλυρον, ἀντῳδόν). — ἀντίβοιον, ἰσόβοιον, ἀντὶ βοὸς καθαγιαζόμενον» (Hesych.), fr. 354 a. (368).

Eadem explicandi ratio si adhibetur — ut scholiastis placuit — in ἀντιπέτρου βήματος, O. C. 192, sedem nanciscimur saxi instar conformatam. Quo tamen in significatu tantum abest ut cum Ellendtio acquiescendum sit, ut contrarium dicendum fuisse videatur: saxum sedis instar conformatum, h. e. quo pro sede uti licet. Incorruptum igitur si omnino vocabulum est, ad Wexii[179]) explicationem confugiam, qui pro simplici ἀντίου compositum illud dicit valere. Quod ita intellegi volo, ut ἀντίπετρον βῆμα accipiatur pro sede ex saxo opposito constante, h. e. pro saxea sede obviam sita. Accedo enim Hartungio revertisse Oedipum censenti ad eundem illum πέτρον ἄξεστον, in quo ante nuntii adventum consedisset (v. 19). Quem lapidem rex a choro monetur, opinor, ut denuo occupet neve amplius progrediatur: κεῖσθαι γὰρ ἤδη ἀντίον αὐτοῦ τὸ βῆμα πέτρινον[180]). — Adde hoc alterum possessivum: ἀντίπρωρα, i. q. ἀντιπρόσωπα, quae vultum habent obversum, h. e. «ὑπ' ὄψιν ὁρώμενα» (schol.), Trach. 223; Herod. 8, 11; Eur. El. 846 (βέλη), Rhes. 136; Thuc., Clem. Alex. Paedagog. — v. Ellendt. s. v.

ἀπό.

Isti praepositioni quae inest vis separationis, eam in signifi-

[179]) In «Thucydideis» (1851) p. 3.

[180]) Dubitanter loquor; neque enim ab omni dubitatione tutam esse hanc explanationem contenderim. Correctione opus esse Musgravius et Meinekius rati sunt, quorum alter αὐτοπέτρου, alter ἀγχιπέτρου temptabat.

cationem privationis aut contrarii [181]) interdum abire iubet Sophocles, velut in his compositis obiectivis: ἀπόμορφος, ab (iusta vel consueta) forma discedens [182]), fr. 845 (915). — ἀπόθεος, i. q. ἄθεος, «ἐκτὸς θεῶν» (Hesych.), fr. 246 (246). — ἀποκαίριος [183]), i. q. ἄκαιρος, Phil. 155; Epigr. Anth. Pal. 7, 477, 1.

διά.

διώδυνος [184]) σπαραγμός, Tr. 777, possessivum est sensu causativo intellegendum: convulsio penetrabiles dolores afferens, penitus excrucians.

ἐκ.

Unum obiectivum: ἐξόμιλος, Tr. 964, qui ἐκτὸς ὁμίλου seu ὁμιλίας (popularium suorum) versatur, i. e. qui patria relicta peregrinatur (ἀποδημεῖ, ἐκδημεῖ); nisi forte cum Hermanno recurrendum est ad verbum ἐξομιλεῖν, quod est: ἐκτὸς (τοῦ οἴκου) ὁμιλεῖν, «egredi e domo sua in coetum.»

---

[181]) cf. Benloew. l. c. p. 48.

[182]) Possessiva ratione vocabulum explicat G. Meyerus (Curt. Stud. VI. p. 377): «fremdartige Gestalt habend.»

[183]) G. Meyerus (Curt. Stud. V, p. 17 sqq. et VI, p. 375 sqq.) secernenda esse monet illa composita, quorum membra secunda suffixis instructa sint, ab iis, quae meram stirpem substantivi exhibeant. «Wo ein wirkliches Suffix am zweiten Theile erscheint», ait ille, «wie das sehr häufige ιο, da sind die Composita weitaus anders zu erklären. Dann ist nämlich von dem betreffenden Nomen zunächst mittelst dieses Suffixes ιο ein Adjectiv gebildet worden, das bei einer grossen Anzahl derartiger Wörter auch ausserhalb der Zusammensetzung vorhanden ist, dem dann zur Verdeutlichung oder Specialisirung seines Begriffs eine Präposition, natürlich in ursprünglicher, adverbialer Bedeutung, vorgesetzt wurde; vergl. ἀρίθμιος, ἐν-αρίθμιος; ἅλιος, εἰν-άλιος; αἴσιος, ἐξ-αίσιος, παρ-αίσιος; δήμιος, ἐπι-δήμιος, μετα-δήμιος; δίφριος, ἐπι-δίφριος» cet. Equidem ut veri aliquantum huic argumentationi inesse concedo, ita vereor, ne impeditior quaestio sit, quam quae his paucis absoluta esse credi debeat. Nam quod supra (p. 52 sqq.) exposui, fallacem saepissime esse membrorum posteriorum cum nominibus simplicibus similitudinem, id de his etiam compositis dictum volo, quamquam non nego exsistere haud pauca, quae ab adiectivis commodissime repetantur. Parum vero cum adhuc res sit explorata, non ausus sum interim quidquam novare.

[184]) cf. Lobeck. Phryn. p. 712: «compositum περιοδυνάω non aliter, ac simplex scribitur, scribendum videtur, licet adiectiva paronyma ἀνώδυνος, κατώδυνος, ἐπώδυνος, et quae ab his rursus redundant, in longitudine tuenda sibi constent.»

ἐν.

Obiectiva sunt omnia: ἔμπολις, qui in urbe habitat, civis, O. C. 1156. — cf, ἐμπολιτεύω, Thuc., Polyb., al. — ἔναυλος, qui est ἐν αὐλῇ [185]), Phil. 158; Eur. Phoen. 1573 (λέοντας). — ἔγχωρος, i. q. ἐγχώριος, Ph. 692. O. C. 125; Lycophr. 509; Eustath. Op. p. 30, 43; Zonar. p. 604. Eandem formam Grotius restituendam iudicavit in fr. 674b. (852). — ἔνολμος aut ἐνόλμιος, ἐν ὅλμῳ, h. e. tripode, sedens (Apollo), fr. 875 (937). — ἐναίσιος, i. q. ἐναίσιμος, O. C. 1482; Plat. Legg. 5, p. 747, D; Dio Cass. 38, 13. — cf. ἐξαίσιος, παραίσιος Hom. — ἐνθαλασσιος, i. q. ἐνάλιος, fr. 379 (396); cf. ἐνθάλασσος, Diod. 2, 43.

ἔνδον.

ἐνδόμυχος, in penetralibus (antri) latens, Ph. 1457; Callim. Cer. 88; Nonn. Dion. 8, 329; Cic. ad Attic. 5, 14 et 21; cf. Suid. s. v.

ἐπί.

Ex voculae ἐπί et substantivi congressu haec orta sunt obiectiva: ἐπινυμφίδιος [186]) ὕμνος, Ant. 814 (Meleag. Anth. Pal. 7, 182, 1), quod metri adiuvandi causa Hermannus commutavit in νυμφίδιος, Dindorfius in ἐπινύμφειος. — ἐπιπόδιος (πέδη), compes quae pedibus imponitur, O. R. 1350. — ἐφέσπερος, ad vesperum vergens, O. C. 1059.

κατά.

Obiectiva: κατάρβυλος χλαῖνα, i. q. ποδήρης vel ποδηνεκής, pallium quod ad calceos usque demittitur, fr. 559 (560). — καθημέριος, quod El. 1414 est: κατὰ ταύτην τὴν ἡμέραν, apud Euripidem (Phoen. 229) significat τὸ καθ' ἡμέραν, cotidianum. — In possessivis praeverbium κατά saepius copiam s. ubertatem eius rei indicat, cuius res altero nomine denotata particeps est [187]). Tale unum Sophocles de suo dedit: κάθυδρος κρατήρ, aquosus, O. C. 157; Polyb. 5, 24, 4.

παρά.

Obiectiva: παρέστιος, Ant. 373: qui ad focum sedet,

---

[185]) cf. quae ab αὐλὸς sunt, substantivum ὁ ἔναυλος (Hom., Hesiod., Eur., al.) et adiectivum ἔναυλος (Plat., Aristot., Aeschin., al.).

[186]) De usu inclinamenti ιδιος cf. Lobeck. Phryn. p. 555 sqq.

[187]) cf. Gust. Meyer. Curt. Stud. VI, p. 379.

hospes; παρέστιοι λοιβαί, libationes quae ad focum fiunt, El. 269; Eur. Med. 1334 (κάσιν); Apoll. Rh. 4, 713. — cf. ἐφέστιος, Hom., Aesch. (Agam. 1269: θυμάτων ἐφεστίων). — παραφρόνιμος, O. R. 691, a (sana) mente delirans, delirus, praeclarum testimonium est exquisitae subtilitatis atque elegantiae Sophocleae. Cum enim duo poetae praesto essent vocabula profano usu iam contritissima, φρόνιμος et παράφρων, in utrumque simul respiciens novam vocem procudit, notione vetustam, forma recentem atque integram. Neque Aeschylus pari virtute destitutus est; qui, ut exemplum afferam Sophocleo consimillimum, data facultate aut ἄνους dicendi aut παράφρων utrumque aspernatus novum nomen propria opera procreare maluit: παράνους, Ag. 1418. — Possessivum est πάραυλος, adiacentem sedem habens, vicinus, O. C. 785. fr. 446 (460)[188]. Tertium πάραυλος, Ai. 892, utrum ab αὐλή sit an ab αὐλέω, certo iudicio decerni nequit, cum Tecmessae clamor et lugubris sit et ex vicino sublatus; quamquam nescio an sonitus notioni posterius etymon magis conveniat. — cf. ὅμαυλος p. 74 et Lobeck. ad h. l.

πρό.

πόνοι *πρόπονοι Sophocli Dindorfius vindicavit Ai. 1197, praegraves labores significari dicens eodem modo, quo Aeschylus Pers. 959 κακὰ πρόκακα calamitates appellasset prae aliis malas. Sed tali ratione si explicantur verba Aeschylea, num recte cum iis Sophoclea comparentur, addubitaverim, quia ita usurpata praepositio πρὸ non deprehenditur, nisi ubi adiectivo ipsa est praefixa, ut in πρόκαλος, πρόμακρος, προπάλαιος, πρόπας. Neque tamen πόνοι πρόπονοι apto sensu carent, modo Todtii adoptetur locutionis Aeschyleae interpretatio obiectiva, ut etiam hic intellegantur «mala pro malis orta seu suscepta» (l. c. p. 32). At ne ita quidem Dindorfii coniectura satis stabilitur, com totus locus in iis sit «quos aliquam labem contraxisse non dubium videtur, quo autem ea modo removeri debeat, certo dici non potest» (Herm.).

πρός.

Certum obiectivum est ?ποτιμάστιος κοῦρος, uberi admotus, lactens, fr. 230 (Nauck. p. X et fr. 222), quod Sophocli ademit

[188]) Libri πάροικος; πάραυλος Bergkius Hesychii auctoritate nisus. Sed languet geminata vicinitatis significatio.

Epigonisque carmini cyclico addixit Kirchhoffius. — Sed quid statuam de πρόσουρος, Ph. 691, de quo id unum inter homines doctos constat, ineptam esse scholiastae interpretationem: «ὑπὸ ἀνέμων βαλλόμενος, πρὸς ἀνέμους τετραμμένος»? Attamen quae editores et Ellendtius de stirpe et significatu vocabuli scripserunt, ea ita comparata sunt, ut vix possint aut prorsus probari aut refelli funditus; quamquam Hermanni quidem interpretationem: «secundo vento advectus» ipsius compositi naturae repugnare suo iure professus est Zehlickius (Zeitschrift f. Alterthumswiss. 1841, p. 675 sqq.). Qui idem haud scio an proxime ad verum accesserit, cum a verbo ὈΡ(νυμι) repeti iuberet et hoc πρόσουρος, et quod O. R. 194. legitur, ἄπουρος, ex quibus alterum esse ait advectus, alterum discedens. Vitabitur enim tali modo in Philoctetae versibus molesta unius sententiae repetitio (οὐκ ἔχων . . . ἐγχώρων); Oedipi R. autem locus ad amussim congruet cum eiusdem fabulae versu 431, ubi pari ex ubertate tribus verbis expressa est recedendi notio (ἄψορρος, ἀποστραφείς, ἄπει), nec dissimilis erit Oedipi C. versui 234: αὖθις ἄφορμος ἐμᾶς χθονὸς ἔκθορε. Miror autem nullam mentionem a Zehlickio factam esse tertiae vocis in ουρος exeuntis; loquor de ἔπουρος, Tr. 954, quod sagacitatem interpretum non minus exercuit quam πρόσουρος. Commodissima enim significatio eiusdem illius etymi ope loco suppeditatur: venti ita orti, ut domum afflet[189]) virginesque inde auferat. Ceterum apparebit iungendum ἔπουρος esse cum ἑστιῶτις, quod pro «ἐπὶ τοῦ οἴκου τούτου» valere scholiasta bene animadvertit.

σύν.

ξὺν cum αὐλή collocatum possessivum ξύναυλος, contubernalis, generat, quod proprio sensu O. R. 1126 dicitur de pastore rura incolente, figurate Ai. 611 de Aiace μανίᾳ tanquam ξυνοικοῦντι[190]).

[189]) cf. Od. III, 176: ὦρτο δ' ἐπὶ λιγὺς οὖρος κ. τ. λ. Neque vero aliter — si quidem recte Zehlickius exploravit syllabarum ουρος originem — idem vocabulum explicandum opinor in his Clementis Alexandrini verbis (Paedagog. Lib. I, 7, p. 130), quae olim Musgravium vexarunt: ὅνπερ οὖν τρόπον ὁ κυβερνήτης οὐκ ἀεὶ τοῖς ἀνέμοις ὑπείκει, ἀντίπρωρος δὲ ἔσθ' ὅτε ὅλαις ἀνθίσταται καταιγίσιν, οὕτως ὁ παιδαγωγὸς οὐχὶ τοῖς ἐν τῷ κόσμῳ τῷδε καταπνέουσιν νόμοις ὑπείκει ποτὲ . . . . μόνῳ δὲ ἄρα τῷ ἀληθείας πνεύματι ἔπουρος ἀρθεὶς ἀντέχεται μάλα ἐρρωμένως τῶν οἰάκων κ. τ. λ.; ubi dubito an ἀρθεὶς nihil sit nisi glossa ἔπουρος vocis explanandae causa a librario aliquo apposita.

[190]) Ab eadem stirpe profluxit, quod apud Aristotelem aliosque legitur,

ὑπό.

Praepositio ὑπὸ in his compositis substantivum regit: ὕπαυλος (σκηνῆς), Ai. 796, «ὑπὸ τὴν αὐλὴν τῆς σκηνῆς» (schol.) — παγὰς ὑποπύρους, laqueos sub igne latentes, h. e. ignes fallaces, quibus Nauplius Graecos in saxa litoris Euboeici illexit, fr. 378 (399). (cf. Eur. Hel. 1128 sqq.: δόλιον ἀστέρα). — *ὑπόχειρ, a Musgravio et Hermanno Sophocli ex coniectura tributum, El. 1092, iusto assensu editores comprobarunt, etsi adiectiva ex praepositione et χείρ nomine composita vulgo in secundam declinationem traducuntur ac simplicis χείριος formam retinent, ut ὑποχείριος, καταχείριος, μεταχείριος. V. Lobeck. Paralipp. p. 209 sq.

Caput VI.

Sic postquam sua cuique ordini vocabula assignavimus, de tribus quibusdam breviter dicamus oportet compositorum gregibus, ex quibus unus ad genus obiectivum, ad possessivum duo pertinent. Loquor de adiectivis in ωψ (ωψ, ωπος, ωπις cet.), ωδης, ηρης terminatis, quae adeo oribus et auribus Graecorum erant consueta, ut persaepe membrum posterius ad meri inclinamenti speciem, totumque compositum ad simplicis nominis significationem proxime accederet. Sophoclea autem quamquam ita comparata sunt, ut rarius delitescat partis secundae notio, tamen, ne nimio intervallo seiungerentur, quae similiter formata sunt, in unum locum effundenda putabam omnia.

§ 1. Sunt igitur ab ὢψ haec ducta:

οἰνώψ, i. q. οἴνοψ Homericum, vini speciem habens; O. C. 674: κισσόν, purpureum, O. R. 211: Βάκχον, «pampinis et uvis coronatum» (Ell.); cf. οἰνωπός, Simon., Eur., Aristot., Nonn., al.

δεινώψ, O. C. 84: δεινῶπες, (Furiae) horridum adspectum habentes. — cf. δεινωπός, Hesiod. Sc. 250.

ἀγλαῶπι πεύκᾳ, taeda splendidam speciem habente; splendida, O. R. 214. — cf. ἀγλαῶπις, Empedocl. ap. Plut. Symp. 8, 3.

εὐώψ, bonum, pulchrum adspectum praebens, Ant. 530 de venustis genis Ismenae; metaphorice de fausto pestilentiae remedio O. R. 189; Lycophr. 23; Tzetz.; Arcad.; Eustath.

συναυλία, contubernium, ab αὐλός (αὐλέω) vero alterum συναυλία, concentus, et, unde hoc posterius substantivum propagatum est, adiectivum σύναυλος, consonus.

γοργῶπις, cognomen Minervae torva tuentis, Ai. 450. fr. 724 (759). — Γοργῶπις nomen lacus cuiusdam prope Corinthum siti et novercae Phryxi (schol. Pind. Pyth. 4, 288; cf. Dindorf. et Nauck. ad Soph. frag. 1)[191]). — cf. γοργωπός, Aesch. Prom. 358; Eur.; γοργῶπες (Furiae) Eur. Or. 261; Γοργώπας, nom. propr.

δολῶπις κόρη, dolosum seu fallacem vultum habens, Trach. 1050. — cf. nom. pr. Δόλοψ.

τηλωπός, proprie: procul conspicuus, Phil. 216 translate de clamore, qui ex longinquo auditur[192]); quiescit membri posterioris significatio Ai. 564: τηλωπὸς οἰχνεῖ.

His externa quidem forma simillimum est στέροψ λιγνύς, Ant. 1126, cuius de ratione etymologica et periculosum est cum grammaticis confligere et ad nostram rem supervacaneum[193]). Nam Sophocles vix dubitandum videtur quin ipse nihil fecerit nisi id, ut ex στεροπή substantivo usitatissimo novum eliceret adiectivum, quod auribus licet non perceptum adhuc esset ipsum, tamen iam inde ab omni tempore latuisse in illo videretur. Qua in re poeta id, opinor, nihil curavit, essetne compositum nomen illud annon.

§ 2. Paulo rarius εἶδος nomen in compositis Sophocleis invenitur.

πυργώδους πλακός, turri similis, Tr. 273. — πυργοειδής Ioseph. B. I.; Dio Cass.; Eustath.; Athen. — cf. Eur. Bacch. 1097: ἀντίπυργον πέτραν.

βρόχῳ μιτρώδει[194]), laqueo ex zona confecto, Ant. 1222; Tzetz. Cram. Anecd. vol. 3, p. 351, 21 (πλέγμα).

[191]) cf. adn. 85. 86. 149.

[192]) Bene de hoc loco I. Schmidt. l. c. p. 67: «τηλωπὸν ἰωὰν haud aliter pictum est quam ἀχὼ τηλεφανής, ib. 189, visu et auditu ut saepius fit, commutatis.»

[193]) cf. Lobeck. Ai. ed. III, p. 339 et Rhem. p. 41; Curt. Grundz. ed. IV, p. 206.

[194]) Hanc formam praestare duco ei, quam Brunckio auctore ex codicibus quibusdam receperunt editores: μιτώδει. Debebat enim — si quid video — id potissimum indicari, unde laqueum sumpsisset virgo, quae sepulcro inclusa omni apparatu ad mortem sibi consciscendam necessario

σισυρνώδη[195]) στολήν, «τὸν ἐκ τῆς σισύρνης στολισμόν» (Hesych.), fr. 362 (376).

στομώδη Pollux perhibet a Sophocle dicta esse «τὰ εὔστομα καὶ εὔφημα», fr. 947 (990).

Crux interpretum est εὐρώδη Τροίαν, Ai. 1190, quod alii probant, addubitant alii, alii damnant. Defensor praeter alios exstitit Lobeckius, cui si id unum contigisset, ut antistrophicos numeros cum strophicis exaequaret, nihil me iudice restaret dubitationis, quin sanum εὐρώδης esset idemque significaret atque Homericum (Τροίη) εὐρεῖα. Omittere enim, ni fallor, vir summus potuit quod suscepit negotium, illud, ut vocabula conquireret in ωδης exeuntia, quae adiectiva in membris prioribus haberent (βραχώδης, τραχώδης, γλυκώδης). Nam quid tandem obstat, quominus ad substantivum εὖρος compositum Sophocleum revocetur?

§ 3. Radix AP (ἀραρίσκω) in his vocabulis deprehenditur:

κισσήρεις ὄχθαι, hedera obsitae, Ant. 1132; cf. Eur. Tro. 1066: κισσοφόρα νάπη.

πετρήρεις στέγας, tecta ex rupibus constructa, saxea, Phil. 1262; cf. πετρηρεφῆ ἄντρα, Aesch. Prom. 302.

τυμβήρης, Ant. 255, in sepulcro conditus; sepultus. De τυμβήρει θαλάμῳ, ib. 946, v. p. 59.

Determinativum est

ἀγχήρης, vicinus, fr. 6 (6).

---

destituta videretur esse. Quod vero Ellendtius non videre sese ait, quomodo μιτρώδης dici queat laqueus ex zona confectus, equidem in hoc significatu non magis offendendum esse puto, quam quod in eiusdem huius fabulae vv. 774 et 958 πετρώδης poeta dixit pro πέτρινος vel πετραῖος. Porro id parum intellego, quidnam lucri ex scriptura μιτώδει locus capiat, cum ita ad conformationem μιτώδης et μιτρώδης congruant, ut aut neutrum aut utrumque a vera et principali significatione aliquantum decedere posse iudicandum sit. Itaque si quis negaverit μιτρῶδες aliud quidquam esse praeter τὸ τῆς μίτρας εἶδος ἔχον, ego illud negabo, μιτῶδες vocari posse τὸ ἐκ μίτων πεποιημένον. Ceterum cf. voc. subseq. (σισυρνώδης).

[195]) Hoc vocabulum non perspicio cur Weickerus (l. c. p. 15) ab inventione Sophoclea abiudicet.

Index
verborum a Sophocle inventorum.

(Numeri paginas significant.)

---

[196]) Cruce ea vocabula notavi, quae codicibus quidem exhibentur, sed num incorrupta sint, ambigitur.

[197]) cf. Aeschylea: αὐτότοκος, αὐτόχθονος, αὐτόκωπος, αὐτόβουλος, αὐτοπήμων, αὐτογενής, αὐτόφορτος (Todt. l. c. p. 22), αὐτόμαρτυς, αὐτόδηλος (ib. p. 23), αὐτόστονος, αὐτόσσυτος, αὐτόσπορος, αὐτόφορβος, αὐτόκρανος, αὐτόκτιτος, αὐτοδάϊκτος, αὐτορέγμων (ib. p. 43).

δυσέριστος 19.
δυσθεράπευτος 18.
δυσθρήνητος 18.
δυσκάθαρτος 18.
δυσκόμιστος 19.
δυσλόγιστος 19.
δύσμοιρος 80. cf. αὐτόμοιρος.
δύσνιπτος 19.
* δυσομβρία 90.
δύσομβρος 80.
δύσοργος 80.
δυσούριστος 19.
δυσπάρευνος 80.
δυσπέλαστος 19.
δυσπινής 81.
δύσπονος 9. cf. λαθίπονος, πρόπονος.
δυσ-πρόσ-οιστος 19.
δυσ-πρόσ-οπτος 19.
δυστάλαινα 10.
δύστεκνος 88.
ἐγρεμάχας 50. cf. νικομάχας.
ἔγχωρος 95.
ἑκατόμπους 86. cf. δεινό-, κοινό-, ὀρθό-, τανύ-, ὑψίπους.
ἔκτιμος 26.
? ἐλαφηβολία 56.
ἔμπολις 95. cf. ὁμόπτολις, πάμπολις, ὑψίπολις, ἡδύπολις.
ἐναίσιος 95.
ἔναυλος 95. cf. δράκαυλος, δύσαυλος, ὅμαυλος, φίλαυλος, ξύναυλος, πάραυλος, ὕπαυλος.
ἐνδόμυχος 95.
ἐνθαλάσσιος 95. cf. εὐθάλασσος.
ἔνολμος (ἐνόλμιος) 95.
ἐξοικήσιμος 25.
ἐξόμιλος 94. cf. ἀπροσόμιλος.
ἐπιβρόντητος 26.
† ἐπινυμφίδιος 95.
ἐπιπόδιος 95.
ἐπίπολος 26.
ἐπίφαντος 26. cf. περίφαντος.
ἔπουρος 26. 97. cf. ἄπουρος, πρόσουρος.
ἐπόψιμος 26.
ἑπτάβοιος 85. cf. ἀντίβοιος.
ἑπτάλογχος 84.
? ἑπτάστομος[198]) 85. 86. cf. ἀθυρό-, δί-, διχόστομος.
ἐπώμοτος 26.
† ἐρρηνοβοσκός 33. cf. ἀνθο-, γηρο-, χειροβοσκός.
εὔαγρος 15.
? εὐάνεμος 79. cf. δυσάνεμος, ἀνήνεμος.
εὔβοτρυς 80.
εὐδρακής 15. cf. ἄδερκτος.
εὐθάλασσος 90. cf. ἐνθαλάσσιος.
? εὔκερως 80. cf. ὀρθόκερως, πολύκερως.
εὐκρότητος 18.
εὔλεκτρος 79.
εὔλοφος 79.
εὔμνηστος 18.
† εὐνόμας 15. cf. ἱππονόμος, σιστονόμος, ἀγρόνομος, βούνομος.
εὐορνιθία 90.
? εὔπτερος 79.
εὔρινος 80. cf. κελαινόρινες.
εὐρύνωτος 75.
† εὐρώδης 100. cf. μιτρ-, πυργ-, σισυρν-, στομώδης.
εὔσεπτος 18. cf. ἄσεπτος.
εὐσκίαστος 18.
εὔσοια 28.
εὐσφής 15.
εὐφαρέτρας 79.
εὐφορβία 28.
εὔχλοος 80.
εὔχρυσος 79.
εὐώψ 98. cf. ἀγλαώψ, δεινώψ, οἰνώψ.
ἐφέσπερος 95.
ἐχθροδαίμων 47.
ζευγηλάτης 31.
ζευγηλατρίς 31. cf. τροχηλάτης.
ἡδύπολις 47. cf. ἔμπολις, ὁμόπτολις, πάμπολις, ὑψίπολις.
ἡλιοστερής 46. cf. βιοστερής.
θεογεννής 41. cf. θνητο-, λινογενής.
θεσπιέπεια 31.
θνητογενής 41. cf. θεογεννής, λινογενής.

[198]) cf. Aeschylea: ὀξύστομος, ἐλευθερόστομος, χαλκόστομος, αἰολόστομος, σεμνόστομος, θρασύστομος (Todt. p. 20.)

ἰξοφόρος 32. cf. ἀει-, ξοανη-, σακεσφόρος, κεράσφορος, παρδαλήφορος.
? ἱπποβουκόλος 34.
ἱπποδέτης 31.
ἱππομανής 41. cf. καρπο-, μουσαμανής.
† ἱππονόμος 34. cf. σιτονόμος, ἀγρόνομος, βούνομος, εὐνόμας.
ἰσαμέριος 75. cf. καθημέριος.
ἰσοθάνατος 47.
ἰσόσπριος 47.
ἰσοτέλεστος 35.
καθημέριος 95. cf. ἰσαμέριος.
κάθυδρος 95.
καινοπαθής 12.
κακάγγελτος 14. cf. αὐτάγγελος.
κακανδρία 28.
κακογείτων 7.
κακόθρους 38.
κακοπινής 76.
καλλίβοτρυς 76.
καράτομος 46.
καρπομανής 41. cf. ἱππο-, μουσομανής.
καταλύσιμος 26.
κατάμεμπτος 26.
κατάρβυλος 95.
καταρρυής 26.
καταρρώξ 26. cf. ἀρρώξ.
κατασκαφής 26. cf. βαθυσκαφής.
καταστεφής 26.
? κατουλάς 26.
κελαινόρινες 76. cf. εὔρινος.
κεράσφορος 56 sqq. cf. παρδαλήφορος, ἰξο-, ξοανη-, σακεσφόρος.
κισσήρης 100. cf. ἀγχ-, πετρ-, τυμβήρης.
κοινολεχής 74.
κοινόπλους 11.
κοινόπους 88. cf. δεινο-, ὀρθό-, ἑκατόμ-, τανύ-, ὑψίπους.
κοινότοκος 11.
* κοκκυβόας (κοκκοβόας) 38.
* κυαμοβόλος (κυαμοβόλως) 35. cf. διόβολος, ὠκυβόλος.
κυματοαγής 36.
κυματοπλήξ 41. cf. ἀμφι-, ἀντι-, ὀξυ-, ἀκανθο-, κυματοπλήξ; χαλκό-, χερό-, πάμ-, ἀμφίπληκτος.
κυνοσπάρακτος 43.
κωδωνόκροτος 40.
λαθίπονος 50. cf. πρόπονος, δύσπονος.
? λακπάτητος 44.
? λεπτοσπάθητος 13.
λιθόλευστος 43. cf. δημόλευστος.
λιθοσπαδής 56 sqq. cf. νεοσπάς, ὁλοσπάς.
λινογενής 41. cf. θεογεννής, θνητογενής.
λιτροσκόπος 35. cf. ὀρνιθοσκόπος.
* λυκοκόλλητος 44. cf. χρυσόκολλος.
* μαλλόδετος 43. cf. αἰχμόδετος.
* μαριλοκαύτης 31.
μεγαλώνυμος. 75.
? μελάγχολος 75.
μελαμβαφής 12.
† μελλόγαμος 8. 55.
μελλόνυμφος 8. cf. ἄνυμφος.
μελλόποσις 8.
μετάδρομος 27.
μηχανορράφος 35.
μιτρώδης 99. cf. εὐρ-, πυργ-, σισυρν-, στομώδης.
μουσομανής 41. cf. ἱππο-, καρπομανής.
μυριόκαρπος 75.
ναοφύλαξ 29.
νεακόνητος 13.
νεηκονής 12.
† νεοπλυνής (λινογενής) 12.
* νεόποκος 11.
νεόρραντος 14.
νεόρρυτος 13. cf. παλίρρυτος.
νέορτος 14.
νεοσπάς 12. cf. ὁλοσπάς, λιθοσπαδής, νευροσπαδής.
(cf. adn. 199.)
νεοχάρακτος 13.
νευροσπαδής 41. cf. λιθοσπαδής, νεοσπάς, ὁλοσπάς.
νικομάχας 49. cf. ἐγρεμάχας.

[199]) cf. Aeschylea: νεόπτολις, νεόκοτος, νεόδροπος, νεόρρυτος, νεόδρεπτος, νεάγγελτος, νεοσπαδής, νεοπαθής, νεοκρᾶτα, νεοθήλου (?). (Todt. l. c. 23. 25. 26.)

[200]) cf. Aeschylea: ὀρθόβουλος, ὀρθοδίκαιος, ὀρθονόμος, ὀρθοδαής. (Todt. l. c. p. 18. 24. 26.)

[201]) cf. Aeschylea: πάντεχνος, πάνοιζυς, πάνολβος, πάνωρος, πάντροφος,

παμμήτωρ, παντόσεμνος, παντάλας, παγκαίνιστος, παμμάταιος (?), παναρκέτας (νόσου). πάμμικτος, πάγκλαυτος, πάμφθαρτος, παντόφυρτος, πάμπρεπτος, παμπορθής, παναίτιος, πανεργέτης. παντότολμος, πανάλωτος, πανόπτης, πανταρκής, παντομισής. (Todt. l. c. pp. 42, 43.)

[202]) cf. Aeschylea: πολύβοτος, πολυηλάκατος, πολυψάμαθος (-ψαμμος?), πολύχειρ, πολυναύτης, πολυεπής, πολυαίμων, πολύθρηνος, πολυσινοῦ (?), πολυμνήστωρ, πολύδρομος, πολύδονος, πολύθροος, πολύρροθος, πολύπλανος, πολύχωστως, πολυβαφής, πολυθρέμμων. (Todt. l. c. p. 19. 20. 21. 24. 25. 26. 38.)

[203]) cf. Aeschylea: παλαιόφρων, περισσόφρων, δολιόφρων (?) κελαινόφρων, γεραιόφρων, βλοσυρόφρων, ὁσιόφρων, οἰόφρων' δαϊόφρων, διχόφρον (Todt. p. 21), τελεσσίφρων (ib. p. 47).

VITA.

Carolus Felix Schindler, fidei evangelicae addictus, natus sum Oppolii d. V. m. Martii a. h. s. LII patre Henrico, matre Adele e gente Pappenheim, quos parentes carissimos adhuc superstites veneror. Litterarum primordiis Rosomontii, Silesiae Superioris in oppidulo, imbutus duodecimo aetatis anno in gymnasium receptus sum Oppoliense, quod etiamnunc floret Augusti Stinner v. ill. auspiciis. Ubi quattuor annos et dimidium versatus transmissus sum a patre Beuthonii urbis in gymnasium, quod tunc temporis sapienter regebat Guilelmus Kayser v. cl. Maturitatis cum testimonio dimissus anni LXX. autumno in Universitatem Berolinensem me contuli philologiae operam daturus. Tribus autem semestribus peractis hanc almam matrem adii Viadrinam.

Scholas audivi virorum ill. Elvenich, Haupt, Hertz, Kirchhoff, Michelet, Reifferscheid, Rossbach, Rückert, Steinthal; per quattuor semestria proseminarii et seminarii reg. philolog. fui sodalis.

Praeceptorum omnium optime de me meritorum, imprimis autem Augusti Reifferscheid, qui v. cl. benevolentissimus studiorum meorum adiutor exstitit, pio gratoque animo semper prosequar memoriam.

THESES.

1. Eur. Iph. Taur. vv. 143—145 sic constituendos esse reor:
   ὦ δμωαί, δυσθρηνήτοις
   ὡς θρήνοις ἔγκειμαι, τὰν
   οὐκ εὔμουσον μέλπουσα βοάν.
2. Eur. Iph. Taur. v. 1208:
   Iph. καὶ πόλει πέμψον τιν' ὅστις σημανεῖ
   Thoas. ποίας τύχας;
   probabili emendatione adhuc carere contendo.
3. Eur. Med. v. 703 sic scripserim:
   σύγγνωστ' ἄγαν ἄρ' ἦν σε λυπεῖσθαι, γύναι.
4. Adstipulor Heynio et Astio corruptum esse censentibus πλωίζοντ', quod codices exhibent Plat. De re publ. III, p. 388; quamquam a neutro sanatum locum esse existimo.
5. In vocabulis cum αὐτὸς pronomine compositis parum adhuc explorata mihi videtur membrorum ratio.